

constat 5. g

Cor sapit et pulmo loquitur ~~fr~~ ^{fr} commouet iras
Splen videre facit, cogit amare iecur.

Rep. 1

Partes est corpus toti cohaerens, Communisq;
vita coniunctura, ad illius functionem
vsumq; comparata.

σωματα μὲν δύο εἰσὶν, ὁμοφρονεῖτε δὲ ὕ
ἐν Θεῷ, αὐτὸς ἐγὼ σοῦτε πατὴρ ἀγαθὸς
τῷ δὲ μὴ ἐν ψυχῇ δὴ ἀλλοτρίαν σοὶ ἐσο
δειξαμένου ὡς ἴσδε ὄναο μὴρῶ.

philip. Melanchthon
Joachimo Bomb.
Filio.

1701

DES BAPTISTEN

TAFEL VERORDNUNG

IN DER GEMEINSCHAFT

DESSER GEMEINSCHAFT

IN DER GEMEINSCHAFT

IN DER GEMEINSCHAFT

IN DER GEMEINSCHAFT

IN DER GEMEINSCHAFT

IN DER GEMEINSCHAFT

IN DER GEMEINSCHAFT

IN DER GEMEINSCHAFT

IN DER GEMEINSCHAFT

IN DER GEMEINSCHAFT

IN DER GEMEINSCHAFT

IN DER GEMEINSCHAFT

IN DER GEMEINSCHAFT

IN DER GEMEINSCHAFT

IN DER GEMEINSCHAFT

IN DER GEMEINSCHAFT

IN DER GEMEINSCHAFT

IN DER GEMEINSCHAFT



CHRISTOPHORO
LEVSCHNERO ARTI-
VM ET MEDICAE ARTIS
DOCTORI CASPAR
PEVCERVS
S. D.



TOTVM mundi
systema uelut pul-
cerrimū est thea-
trum, maxima plu-
rimarum ac diuer-
sissimarum rerum
uarietate refertum & distinctum,
in quo expressissima sapientiae ac
potentiae diuinæ uestigia cōspicien-
da, nobis pensitāda, & cum præsen-
tiae Dei cogitatione atque ardenti
gratiarum actione celebranda pro-
ponuntur. Hominem enim ideo
Deus cum intelligentia præstanti,
perspicacitate eximia alijsq; doti-
bus

bus initio plane diuinis ornarat atque
que instruxerat, tum in hoc sapien-
tissime fabri factum domiciliū col-
locarat, ut admiranda Dei opera
contemplaretur ac consideraret,
earumque naturas scrutaretur & in-
de sapientiam architecti estimaret.
Et si diuinæ sapientiæ radios in cre-
atione inditos, uimque mentis acutis-
simam retinisset primus homo,
in ipsas interiores rerum naturas
penetrassemus intellectus nostri ac-
cumine, & tum causas ac fabricas sa-
pientissime constructas perspexis-
semus, tum Architecti consilium
magis intellexissemus. Quia uero
hebetata est & obtusa acies huma-
næ mentis peccato primorum pa-
rentum, & lumē diuinæ sapientiæ,
quod in natura præluxisset nosque
ad

agnitionem τὸ δὴ μίση γὰρ perduxit
ser, obscuratū elanguit, factum est,
ut uelut densa circumfusi & impli-
citi caligine naturam non qualis est
amplius intuemur, sed ceu per tran-
sennam & conuoluta peristroma-
ta a longe aspiciamus. Non am-
plius rerum formas, aut ἀναλογίας
elementorum in mixtis corpori-
bus pernoscimur, figuras sensibus
obuias sectamur et arripimus, ijsq;
quantum possumus res cognatas
discernimus. Nec mirabilium uir-
rium, (quas addidit rebus creatis
Deus & actionum uitæ necessaria-
rum effectrices esse uoluit) causas
ueras integre peruidemus aut com-
prehendimus, creaturis inesse atq;
inhrere eas sensibus animaduerti-
mus & percipimus de causis con-

A iij iectu

iectiones facimus & plane diuina-
mus. Verissimum est Aristoteli-
cum illud dictum pulchra illustra-
tum similitudine, quod in Meta-
physicis habetur ^{τὸ} ὡς πρὸς καὶ τῶν νυκτε-
ρίων ὀμματα πρὸς τὸ φέγγος ἔχει τὸ μεθ'
ἡμέραν, οὕτω καὶ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς ὁ νῦν
πρὸς τὰ τῆ φύσει φανερώτατα πάντων.
Mentes humanæ directæ & defi-
xæ in naturæ contemplationem ca-
ligant & cœcutiunt, ut uespertilio-
nes ad lucem conuersæ Meridia-
nam.

Hinc nata est tanta tamq̃ pugna-
tium & absurdarū opinionum co-
pia & uarietas. Cum enim excellen-
tia ingenia ingressa in naturæ con-
siderationem nec exquirere integre
ac peruestigare nec coniecturis as-
sequi origines, structuras, confor-
mationes, causas mirabilium actio-
num

num & motuum, ac mutationum
possent, imo quo progrederen-
tur longius ratiocinando & in-
dagando, eo maiora miracula of-
ferri sentirent, confusiones pepe-
rerunt maximas, alij alia exco-
gitarunt, pro ut in prius inuen-
tis aliquid desiderarunt, Auxe-
runtq; hac ipsa commentationum
infinita nouitate difficultatem con-
siderationis, cum maiori obscurita-
te naturæ uelut inducta tum men-
tibus humanis irretitis ac præpedi-
tis. Alij ea difficultate & opinionū
immensa discrepantia moti omnia
pariter incerta esse finxerunt, alij
ueritatem abstrusam abditamq; ex
conspectu nostro & in profun-
do demersam esse, nec cerni aut e-
rui posse contenderunt. Socrates,

A iiij cum

cum iuuenis miro eius sapientiæ,
quam ἰσορίαν τῆς φύσεως uocat, studio
flagrasset, & omne tempus causis
ortus atq; interitus rerū aliarumq;
mutationum perscrutandis impen-
disset, tandem se hunc ex physicis
commentationibus fructum retu-
lisse affirmat, ut ea quæ pro certis
antea firmis euidentibus & expli-
catis habuerit, quæq; præclare se
cognouisse & in animo obfirmas-
se suo putauerit, post uelut e mani-
bus extorta amiserit, & incerta ac
neutiq; integre explorata esse com-
pererit. Inquit enim apud Platonē
ἔγω δὲ καὶ πρότερον σαφῶς ἠπιστάμην, ὡς
δὴ ἐμαυτῶ καὶ τοῖς ἄλλοις εἰδόκεν, τότε
ὑπὸ ταύτης τῆς σκέψεως οὕτω σφοδρὰ ἐτυ-
φλώθη, ὡς τὸ ἀπέμαθον καὶ ταῦτα, ἃ πρό τῆς
ῥώμης εἰδέναι.

Etsi uero magna est caligo intelle-
ctus humani, magna aciei mentis
imbe-

imbecillitas, quæ natura senescente
magis magisque attenuatur & defici-
cit indies, multa etiam uidentur esse
se incerta ὡς περ σκία τινὲς καὶ εἰκονες ἐν
ἴδασιν, multa reuera nondum eruta
aut explicata sunt, de quibus τύφλας
δόξας tenemus, reliquæ tamen sunt
notitiæ plurimæ quæ sunt πηγὰ τῶν
τεχνῶν & actionum rectrices. Re-
liquum est & acumen mētis, quod
& naturas rerum perspicit aliquo-
modo, indeque necessaria conserua-
tioni uitæ auxilia petit, ac depromit
& ex his notitijs, & alijs plurimis
usu longo comprobatis extruit cō-
clusiones immotas ac firmissimas.
Has notitias & conclusiones ex illis
firma connexionione deductas Dei
sapientiam esse certissimum est.

Est autem inter artes ceteras,
quas

quas ad usum generis humani Deus
condidit, uel præcipua ars me-
dica, qua Deus immensa misericor-
dia naturæ hominum lapsu primo-
rum parentum grauius afflictæ ac
languefactæ mederi uoluit, ne uel
editi in lucem statim extinguere-
mur, uel ægri tudinibus conflictæ-
remur perpetuis, tandemq; longis
cruciatibus enecti occumberemus,
sed ipsum agnosceremus ac glori-
ficaremur. Suntq; in illa ipsa arte
pleraq; certa, firma, perspicua, ac
cōmodata ad usus insignes & mul-
tiplices, imo & necessaria conserua-
tioni corporum nostrorum in hac
uita, siue medicamentorum uires,
species & discrimina, siue partiū hu-
mani corporis structurā, siue cau-
sas bonæ ualetudinis & morborū,
siue

siue medendi rationem, siue prin-
cipia & fontes, ex quibus tota cu-
randi ratio proficiscitur spectes.
Neq; ideo ars tota in dubium uo-
cari & pro incerta haberi debet,
quod uel omnium causæ non per-
spiciuntur, uel multi aut ambitione
aut errore, aut imbecillitate inge-
niorum, quod eruditissima ueterū
dogmata non assequerentur, no-
uas erroneas, alienas a ueritate, &
noxias opiniones confinxerunt, &
consensum ueterum cōturbarunt,
hominum illa culpa fiunt, non ar-
tium, quarū perpetua est & immo-
ta ueritas. Hæc ne extingueretur
in genere humano negligentia ho-
minum aut ne erroribus deforma-
ta & obruta concideret atq; eua-
nesceret, Deus subinde præstantia
inge-

ingenia excitauit, quæ ueterum in-
uenta conseruarent, audirent, & ex-
polirent, errores dextre refutarēt
ac discuterent, & discentes ad ue-
ros fontes deducerent sepe in ma-
ximis Imperiorum ruinis & con-
flagrationibus earum urbium quæ
domicilia fuerant ac hospitia lite-
rarum, mirabiliter præcipua omni-
um artium monumenta, ne perirent,
defendit ac propagauit.

Inter eos uero, quos hoc nostro
sæculo ad artis Medicæ & expli-
cationem diuinitus accensos uide-
mus, uel principem locum facile te-
net Iohannes Baptista Montanus
professor patauinus, uir acerrimi
ingenij & iudicij dexterrimi, adeo
ut factus formatusq; uideatur ad
aperiendos & perpurgandos fon-
tes

tes artis Medicæ, qui situ squallo
reque inquinati & obscurati aliquan
diu latuerunt. Huius est hæc quam
edimus Epitome de medicamen
torum differentijs, in qua ut arti
fex, miro acumine, & dexteritate
maxima breuitate tanta, quantam
imitari quivis non poterit, discer
nit qualitates, ac vires seu facultates
medicamentorum, & causas, quan
tum fieri potest ostendit atque expli
cat, & uelut in tabella quæcumque
Galenus fusissime disputat conspi
tienda proponit, multa etiam a Ga
leno uel consulto prætermissa uel
eruditorum iudicijs æstimanda re
lictæ, explet ac declarat. Estque meo
iudicio dignissima, quæ omni
um studiosorum manibus assidue
teratur, imo pectoribus infixæ atque
inclusa

inclusa circumferatur perpetuo.
Immensæ enim huius doctrinæ uti-
litates notæ sunt. Ne igitur hi qui
solidam cognitionem uirium multi-
plicium in medicamentis & causa-
rum expetunt, huius Isagogæ fru-
ctu priuentur, etsi expressa est ali-
bi tamen cum exemplaribus desti-
tuamur, excudi curauimus denuo,
& sub tuo nomine Doctissime
Christophore publicamus, Cū ut
testaremur te huius beneficij nobis
autorem esse, & tibi, hi qui hac do-
ctrina fruuntur, se gratitudinem
debere intelligant, tum ut priua-
tim ego quoq; meam tibi beneuo-
lentiam & obseruantiam declara-
rem, Deus æternus Pater Domini
nostri Iesu Christi & te regat ac ser-
uet, & harum regionum Ecclesias
ac

ac studia literarum in nostra urbe
tueatur, nec sinat extinguí lucem
Euangelij sui, & ceterarum artium,
nec sinat fieri maiores uastitates,
Hæc eum toto pectore ardentè o-
ramus, Datae Vuitebergæ calen-
dis Martij, quo die Sylla Athenas
expugnauit, quæ fuerunt domi-
ciliū & sedes sapientiæ Gre-
cæ multos annos, & satis cru-
deliter in ciues sæuijt. Ta-
lem a nobis o Iesu Chri-
ste Tyrannidem cle-
menter auerte,
Vale.

... in nomine domini Amen
... necesse est ut
... Evangelium
... hoc factum est
... hoc enim non potest
... dicitur. Dicitur
... hic dicitur quod
... Evangelium
... et multos annos
... dicitur in
... in nomine domini
... hic dicitur de
... in nomine domini
... Vale



V M I N I N T E R P R E
tatione quartæ partis primi Libri Auicennæ iam de-
uenerimus ad id in quo agi-
tur de medicamentis, ope-
repretium iudicauimus, tū
ad ea quæ ab Auicenna di-
cuntur, tum ad alios quoq;
usus quamplurimos, qui in

hac arte occurrunt, omnes medicamentorum diffe-
rentias certa uia ac ratione explicare. Vix enim ex-
primi potest quantæ utilitati, & commodo ad ar-
tis opera collaturum sit, quod intendimus. Suppo-
namus igitur medicamentum, sicut & alimen-
tum referri oportere ad corpus humanum, Circa
quod omnino uersatur medici facultas, Suppona-
mus etiam medicamentum, & pro Veneno sumi
apud antiquos, & pro eo quod ad salutem confert,
sicut & apud Græcos pharmacum.

Quibus ita suppositis, dicimus omnes medica-
mentorum differentias à tribus principijs potissime
oriri, uidelicet ab essentia, à uiribus seu facultati-
bus, ab actionibus.

Quantum igitur ad essentiam attinet, eam du-
pliciter consideramus, uel secundum proximam ma-
teriam, uel secundum formam, quam substantialem
uocant. Medicamenta secundum materiam conside-

B rata

rata quasdam habent differentias, quæ sunt tanquã habitus quidam actu existentes, quasdam uero quæ sunt meræ potentia.

Differentiæ igitur quæ sunt habitus, sumuntur penes uarios modos subiecti, ut raritas, densitas, leuitas, grauitas, durities, mollities, lenitas, asperitas, crassitudo, tenuitas, uisciditas, friabilitas, Durities mollities, plenitudo, Vacuitas. Sunt enim hi omnes habitus quidam ex uaria commixtione humiditatis & sicci, per actionem calidi in materia mixtorum reperiuntur.

Aliæ uero differentiæ quæ ex se nullum actum præferunt, sed tantum passibiles sunt affectus in subiecto per eandem mixtionis rationem impressi, tot ferè tum à medicis tum à philosophis numerantur. Videlicet quod indurari potest, quod non indurari, πικτόν Græci uocant liquabile, non liquabile. Madefactibile, non madefactibile, ruptile non ruptile, frangibile, non frangibile, flexile inflexile, cedens tactui, non cedens tactui, compressibile non compressibile, scissibile non scissibile, formabile non formabile, πλαστικό uocant, dilatabile non dilatabile, quod teri potest, quod non teri, elixabile non elixabile, uaporabile inuaporabile, cremabile non cremabile, inflammabile non inflammabile. Suffibile, non suffibile.

Hæ ferè sunt differentia in mixtorum materia reperiuntur.

reperta, quarum ratione singulae quaeque species magis uel minus aptae ad patiendum redduntur, harum omnium notiones, primo singillatim declarabimus, postea earundem causas explicabimus.

Primo igitur cum dicimus, quod durari, quod non durari potest, intelligimus, quod graeci $\pi\kappa\alpha\tau\omicron\rho$ & $\acute{\alpha}\pi\kappa\iota\tau\omicron\rho$ dicunt, quod nonnulli interpretantur congelabile non congelabile. Sunt enim quaedam, quae facile congelantur & indurantur, ut aqua & cera, & huius modi, quaedam quae nullo modo congelari indurariue queunt, ut oleum, & maior pars pinguedinum & butyrum. Quaedam uero congelari quidem & indurari possunt, sed non priusquam ualido calore immutentur & excoquantur, ut pix & mel.

Hic ergo antequam ad alias differentias transeamus, ne bis idem sit repetendum, causas perscrutabimur, horum diuersorum effectuum, qui in hac materia contingunt. Si prius duo supponamus principia necessario supponenda, sine quibus rationes & causae parum consisterent. Sunt enim omnes ad haec principia referendae.

Primum est omnia mixta uarias formas recipere, uariosque substantiae modos ex parte ipsius materiae, pro ut humidum & siccum in mixtione uarie patitur per actionem calidi & frigidi. Secundum in qualibet mixtione elementorum, nihil omnino

B 2 esse

esse secundum rationem continuum, sed tantum secundum sensum magis aut minus. Fortasse enim corpora Cœlestia uere continua sunt, ideo nec diuidi, nec corrumpi possunt. Nostra autem hæc corpora propter magnam contrarietatem humidi & sicci, & quoniam nullam ueram equalitatis mixtionem adipiscuntur, ideo non uere continuantur, sed semper sunt aliqua foramina in tota materia, quæ Græce πόροι uocantur, maiora, uel minora, pro ut magis, uel minus siccum continuatur & unitur cum humido.

His ita suppositis est etiam sciendum, istos meatus uel poros, diuersimode remanere in materia secundum uarias commixtiones. Quidam enim sunt ad modum angusti, quidam lati, ut quandoq; etiam sensu manifestè discernantur, quandoq; sunt duri, quandoq; molles, & qui facile patiuntur, quandoq; sunt repleti, quandoq; uacui, & cum repleti sunt materia uel est flatuosa & ærea, uel aquea & crassa. Contingit etiam, ut quandoq; qui sunt circa superficiem corporis non penetrent per totum profundum, sed in summo tantum consistant, quidam uero penetrent, Præterea nonnulli sunt tortuosi & per anfractus sibi inuicem succedentes. Alij quidam tortuosi quidem sunt, sed inuicem non succedunt, imò sunt prorsus inordinati & irregulares. Et hæc omnia sunt fundamenta Aristotelis, neq; uel latum
quidem

quidem unguem à Peripatetica disciplina recedunt.

Quibus omnibus recte intellectis, dicimus ea, quæ congelantur uel indurantur habere in uniuersum duplices causas, Vel enim hoc accidit propter multum calorem excoquentem & resoluentem humidum, ut contingit in sale & nitro, Vnde cum à calido sicco indurentur, à frigido & humido colliquantur. Quædam uero indurantur à frigore spiritum aerisq; partes quæ congelari non possunt exprimente, sicut contingit in glatie. Ideo cum à frigido indurentur, à calido resoluuntur quæ uero utrunq; passa sunt, uidelicet & resolutionem humoris à calido, & expressionem spiritus à frigido, resolui non possunt, neq; à calido, neq; à frigido, & hoc præcipue apparet in fictilibus, & in lateribus, forsitan etiam appareret in sale & nitro, nisi extrinsecus per latiores poros penetraret humor colliquans. Nam quod pix & mel indurata per calidum colliquantur, propter aliam rationem non est, nisi quia per resolutionem humoris factam, à calore, adhuc tamen tantum eiusdem humoris superest, qui congelatur à frigore, ut superueniente calore dissolui possit hæc satis de his quæ durari & non durari possunt.

Contrario modo liquantur, quæcunq; in se humorem habent congelatum à frigore, superueniente calore soluantur, ut glaties, uel quæ sicca qui-

B 6 dem

dem sunt, euaporato humore, ut facta sit tota substantia terrestris, meatus tamen permansere latiores, & per totum profundū penetrantes, & hæc talia à calido quidem solui non possunt, sed ab humido possunt, Penetrat enim humor per omnes meatus, & ita eo humore aduētatio liquatur, quod prius solidum fuerat. Fictilia uero & lateres non liquantur, quoniam meatus in illis sunt angustissimi, neq; simul continuati, humor ergo intercipitur, ut nullo modo penetrare possit. Atq; nihil superest cause, qua possint colliquari, cum fuerint excocta à calore igneo, & ulterius indurata per frigus.

Madefactibile autem seu macerabile, quod Greci τεγτόν uocant, illud est, quod usq; ad profundum per ipsos poros humorem recipit, sicut sponsa & lana. Non madefactibile opposito modo se habet, ut lateres. Madefactionis igitur causa est, pororum amplitudo, multitudo, & profunditas, per quos in tota substantia humor penetrans rem madefacit. Lateres uero & huiusmodi talia, non madescunt propter causas contrarias, habent enim meatus paucos, angustos, neq; penetrantes.

Ruptile dicimus, quod in duas tantum partes diuiditur à rumpente, sicut uirga lignea, Frangibile quod semper in plures partes quam duas, etiam inuito frangente diuiditur. Rumpuntur igitur que meatus habent ordinatos, & uniformes, frangun-

ur

tur quæ opposito modo se habent. Semper enim fractio fit in ipsis meatibus, & per ipsos. Nam quod uere continuum est frangi non potest.

Flexile illud est, quod ab impellente tam in gibbum, quam in cauum ad circumferentiam deduci potest. Causa flexionis est humiditas multa in mixtione ex aerea & aquea substantia. Vnde & flexilia uiscida sunt, ut lignum uiride, quod si exarescat rumpitur non flectitur. Exhalauit enim lentus ille humor. Vnde & maior siccitas suborta est, & ampliorum meatuum copia. Ideo ad rupturam, non ad flexionem patet aditus.

Cedens tactui apello quod ἐλατόν Græce dicitur, quod propelli uiolenter potest, ita ut in solido fouea permaneat sicut in ære. Contingit igitur, quæ ita cedunt, ut sint in substantia sua humidiora, sed à ualido frigore indurata, Vnde etiam à ualido calore liquantur, ut æs plumbum. Cedunt igitur percussioni ob innatam mollitiem ab humore contractam, sed uiolentiæ tantum, propter magnam congelationem indurantem & resistentem. Ferrum autem non cedit tactui neq; lapis, neq; fictilia, aut lateres, quoniam sicca, terreaq; substantia in illis dominatur, resoluta humiditate à calore. Vnde & nullo modo uel uix unquam liquari possunt. Non igitur tactui cedunt, hoc est enim proprium uere duris & terrestris.

Compressibile appello, quod ab ampliore dimen=
sione in angustum à comprimente contrahi potest,
sicut contingit in lana & spongia. Comprimi pos=
sunt, quaecunq; duo in se habent, raritatem substan=
tiae multitudinemq; meatuum & ob plurimam hu=
miditatem aeream, & aqueam optime commixta
cum sicco, ob hanc rationem cera quidem compri=
mi non potest, licet habeat mixtionem plurimi hu=
moris aerei, & aquei simul cum sicco cum sint in
illa meatus pauci & angusti, cuius signum est, quia
non madescit. Pumex etiam non comprimitur, quo=
niam licet habeat meatum amplitudinem & mul=
titudinem, tamen caret humore molliente siccum
terreum. Ideo comprimenti non cedit. Spongia ue=
ro & lana, cum & meatus habeant idoneos, & hu=
mores in sua mixtione copiam comprimi facile pos=
sunt.

Scissibile appellamus, quod semper diuiditur ultra
illud, quod scindens diuidit, sicut pleraq; ligna, hoc
contingit in his, quae habent poros extensos in lon=
gitudinem.

Formabile quod πλασόν Græci uocant, dicitur,
quod in uarias figuras deduci potest, sicut cera, ar=
gilla & huiusmodi. Cuius affectus causa est humi=
ditas aerea plurimo cum aqueo & sicco terreo o=
ptime commixta, talia enim mollia sunt & uiscida,
& in quemcunq; situm partibus simul continuis
perma=
perma=

permanentibus, facile deduci possunt.

Dilatabilia sunt, quæ per compressionem, uel percussionem partibus simul manentibus possunt in ampliorem situm secundum latitudinem duci, talia sunt, in quibus humidum dominatur. Unde æs & plumbum, & cera & argilla, dilatantur.

Quæ facile teri possunt, uel nõ possunt, ex ipso nomine statim patet. Conteri ergo possunt, in quibus siccitas terrea dominatur. Cum pororum amplitudine contrario modo se habent, quæ teri non possunt, unde qui terere uolunt herbas, flores, ligna, & plura alia humidiora, prius uel exiccant uel exurunt, ut exhausta humiditate conteri possint. Pumex igitur facile conteritur, qui suapte natura siccus est, ut paulo ante diximus, lana aut sponsia teri non possunt, nisi comburantur, ostendimus enim in sua substantia utramq; esse humidioram.

Elixari possunt in quibus duo conueniunt primo ut meatus adsint, in quibus uapor feruentis aquæ per totam substantiam penetrare possit. Secundum ut succum habeant, qui sit elixabilis & coctilis. Est enim elixatio coctionis species, olera igitur, carnes, legumina, pisces, & reliqua huiusmodi elixantur, cum utrunq; habeant, meatus scilicet & succum. Inde est quod sponsia uel lana non elixantur, licet ampliores habeant poros, cum succo careant, qui coqui elixariq; possit, Ossa præterea elixari

xari nequeunt, quamuis in se habeant humorem,
qui concoqui possit, ut apparet ex eorum alimento,
quo nonnulla nutriuntur animalia, sed elixationem
non admittunt propter pororum angustiam, Un-
de uidemus, quaecumq; solidiora sunt, quamuis in-
trinfecus plurimo succo elixabili redundant, diffi-
culter tamen & uix elixari propter meatuum an-
gustiam propterea & aquae quae tenuiores sunt,
longe citius & facilius elixant, quam quae crassio-
res, quoniam facilius penetrant meatus eorum,
quae elixantur.

Vaporabile est quod facile transit in uapores,
uaporem appello, more Aristotelis, spiritum humi-
dum à materia calida exhalantem, facile euapo-
rant quaecumq; humida sunt. Unde & aqua cale-
facta tota transit in uapores, Lapidēs propter sicci-
tatem nullum, quod sensui appareat, uaporem emit-
tunt, propterea & Galenus senum corpora minime
uaporabilia, puerorum autem maxime esse prodi-
dit, quoniam pueri humidissimae temperaturae sunt
senes autem siccissimae.

Cremabile appello, quod ab igne quoquo mo-
do uinci potest & in cinerem uerti, cremantur igi-
tur quaecumq; terreae quidem substantiae sunt, ha-
bent in se tamen Meatus, qui in se recipere possint
penetrantem uim ignis, et praeterea in poris habent
humorem, ut facile igniri possint. Quae uero mea-
tus

tus angustissimos habent, & præterea intra ipsos poros nullū humorem cremabilem, uix uel nūquam cremantur sicut lateres & multa lapidum genera. Sunt enim quidam lapides ampliorum meatuum, in quibus humor cremabilis continetur, qui quamuis à quocumq; igne cremari nequeant, à ualido tamen cremantur, ut illi sunt ex quibus calcem conficiunt.

Inflammabile est, quod dum igni admouetur, emittit halitum, qui facile in ignem uertitur, sicut ligna, paleæ & huiusmodi. Nihil enim aliud flamma est quam halitus ille inflammatus. Sunt igitur quædam quæ cremantur, sed non inflammantur ut omnia ferè metallica, quædam uero antequam cremantur, prius inflammantur, quædam inflammantur non cremantur, ut oleum & pinguedo, quædam neq; inflammantur, neq; cremantur, sed tantum per uaporem absumuntur ut aqua. Causa omnium est quoniam quæ uruntur uel inflammantur, illa omnia terrestria sunt, licet necessario in se habeant humorem acreum inflammabilem uel cremabilem. Quæ igitur parum habent de ipsa terra, plurimum de aëre & aqua illa inflammantur, non cremantur, quæ uero nec terram nec aërem in se continent, nec cremari, nec inflammari possunt, ut aqua & uina admodum aquosa, nam quæ ualida sunt inflammantur tanquam oleum.

Suffumigabile apello, ex quo per agentem calorem

lorem potest halitus odorabilis elici, talia sunt, quæ
in se habent partes siccas terreas, in humido opti-
me attenuatas, à calore, & quasi ad igneam substan-
tiam redactas, quæ facile exhalant ob aëris uel i-
gnis calorem, unde odor percipitur. Est enim ille
halitus proximum subiectum odoris ut Aristoteles
prodidit estq; hic odor uel gratus uel ingratus, pro
ut humanæ temperaturæ in sua substantia conue-
nit uel non conuenit.

De his autem differentijs, quæ tanquam habi-
tus sunt materiæ sicut diximus eadem ferè ratio est.
Ad eadem enim prorsus principia rediguntur. Nam
quod leue est in se plus habet elementorū quæ leuia
sunt, quod graue opposito modo se habet. Sūt tamē
nonnulla leuia, & tamen terrestria, propter rari-
tatem substantiæ & multitudinem aëris, quo re-
plentur amplissimi meatus, unde leuitas acquiritur,
ut pumex, ideo si conteratur minutissime, seipso gra-
uior efficitur, exprimitur enim aër qui erat cau-
sa leuitatis, & eadem ferè ratio est de raro &
denso.

Durum autem dicitur quod uel terrestre est
uel congelatum uel plenum sicut utrem durum di-
cimus cum plenus est, & eundem quoq; mollem
quando est uacuus Molle quod habet causas oppo-
sitas.

Lenitatis causa est multitudo aqueæ uel aëreæ
substan-

substantiæ, omnino enim humor causa est optima cō-
mixtionis, & æqualitatis & quocumq; ducit & di-
gerit siccum, Vnde sequitur superficies plana & le-
uis, eorum in quibus humor dominatur. Contra
asperitas sequitur siccitatem, siccum enim sine hu-
mido, neq; bene miscetur, neq; terminatur, neq; di-
geritur. Ergo in tali mixtione propter inæqua-
litatem, necessarium est quasdam partes in superfi-
cie corporis eminere, quasdam deprimi, & hoc aspe-
ritatem uocamus.

Viscida sunt in quibus aër & aqua in mixtio-
ne dominantur, pingue enim & uiscidum omnino
fiunt ex aëris mixtione cum humido aqueo, propte-
rea & aqua, ubi putrescit, uel ei admisceatur ali-
quid olei, uel pinguedinis, plurimas eleuat ampul-
las, neq; facile disrumpitur, quoniam uisciditate
acquisiuit, quæ facit partem tenaciter adhærere
parti, hoc enim proprium uisciditatis est. Scimus
autem ea, quæ putrescunt redundare spiritu flatuo-
so & aëreo, quoniam à calore extraneo attenuatur
humidum rei putrescentis & in spiritum uertitur
unde uisciditas generatur.

Friabile uero est quod minimum habet de aëre,
Nam & aqua, & terra facile diuisibilia sunt, pro-
pterea lutum, quod ex terra & aqua conficitur, fa-
cile in quacumq; parte separatur, Male enim con-
tinuatur aqua cum sicco, nisi aëris spiritus subin-
tret

eret & penetret, & optimam commixtionem efficiat sicut patet in pinguibus & uiscidis, hac ratione argilla, quamuis luti quaedam species sit. Viscida tamen est, neq; facile diuisibilis, quoniam in se plurimum spiritum continet aëreum.

De uacuo & pleno facile unusquisq; perpendit, illud uacuum dici, quod in se non continet, quod aptum est continere, sicut uini uacuum dolium dicimus uino exhausto. Contrario modo plenum dicimus, quod habet in se uel quod habere naturaliter debet, uel quod præter naturam ingeritur. Neque enim dolium uini continendi gratia confectum, uacuum propterea diceretur, si uino exhausto, lana aut frumento, aut tali aliquo repleretur.

Crassum dicimus, quod non facile penetrat intra poros corporis alicuius, sicut quæ sunt substantiæ terrestris. Tenue uero quod facile penetrat, & talia maxime sunt, in quorum mixtione substantia aerea uel ignea dominatur.

Explicatis his, quæ ad materiam medicamentorum attinent, modo dicendum superest de differentijs quæ formam consequuntur, si prius admonuerimus auditores, formam apud medicos, qualis fuit, Hippocrates & Galenus, intelligi non sub uniuersali quadam & confusa notione, ut Philosophi faciunt dicentes, formam esse uel actum primum, uel intellectiuiam, uel perfectionem rei, uel causam essendi,
uel

uel quæ continet materiam, & talia innumera, hæ
enim omnes notiones ad certam doctrinam nihil
conferunt, & ad operandi artem omnino sunt su-
peruacua & uana.

Dicemus igitur cum Galeno & Hippocrate, for-
mam esse ipsam temperaturã, uel harmoniam quæ
ex mixtione quatuor primorum corporum in sin-
gulis quibusq; compositis, ad certos actus & usus,
cum quadam æqualitate iusticiæ, à formante uir-
tute perficitur, quæ intra materiam naturaliter cõ-
tinetur. Sed de his alibi diffusius disputauimus, ubi
locus magis fuerat oportunus.

Supponamus igitur nunc temperaturam formã
esse substantialem uniuscuiusq; mixti. Nam ex hoc
supposito, tanquã Medici omnia consequenter dice-
mus, & ex principio bene & secundum rationem
fundato, succedent reliqua omnia sibi inuicem certo
ordine correspondentia. Ergo cum forma medi-
camentorum sicut reliquorum omnium mixtorum
sit ipsa temperatura, differentiæ formarum uario-
rum medicamentorum, summentur penes dominiũ
uel æqualitatem primarum qualitatum, ex quarum
proportione resultat temperatura, non quidem,
quod intelligamus temperaturam esse ipsas qualita-
tes, sed quod in singulis temperaturis in actione uel
passione mixtorum apparet actus alicuius qualita-
tis magis & minus secundum uariam mixtionem.

Quando

Quando igitur dicimus temperaturam calidam uel frigidam, non intelligemus propterea formam calidam esse uel frigidam, sed in actionibus, uel passionibus corporum temperaturarum eminere magis uigorem caliditatis aut frigiditatis.

Medicinarum igitur quedam sunt eo modo temperatae, ut si corpori humano bene temperato applicentur, nullo excessu alterent ipsum corpus, siue ad calidum siue frigidum, siue ad humidum uel siccum. Tales medicinae $\epsilon\upsilon\kappa\rho\alpha\tau\alpha$ à Grecis, à nostris temperatae & aequales dicuntur.

Aliae sunt quae per calidum à temperamento recedunt aliae per frigidum, aliae per humidum, aliae per siccum, & hi sunt simplices excessus. Compositi uero sunt, ubi excedit caliditas simul & humiditas, uel caliditas & siccitas, uel frigiditas & humiditas, uel frigiditas & siccitas. Atq; ita aequalis erit temperaturarum numerus in medicinis & in humanis corporibus. Ostensum enim est & in prima parte huius primi libri, & in primo de temperaturis apud Galenum, totidem esse temperaturas humani corporis sine defluxu materiae existentes. Vnam scilicet aequalem, & octo inaequales, quarum quatuor simplices sunt, quatuor compositae, Aduertendum tamen est, medicinas non eodem modo apud Medicos dici calidas, frigidas, humidas, siccas, sicut corpora talia dicuntur, Humanum enim corpus actu calidum,

dum, frigidum, humidum & siccum est, ideo & primo occurſu tactus percipitur ſtatim qualitas, quæ in ipſo dominatur. Medicamenta uero nullam habent huiusmodi qualitatem in actu, ſed potentia tantum, ideo nullam alterationem in humano corpore imprimunt, niſi prius ab ipſo calore naturali eiusdem corporis ad actum ducantur, hinc ſæpe occurreret hominum tactui medicina, cui feruidus ineſt calor, quæ tamen feruida percipitur ſicut piper, ſed ſi poſtea ita uel interius uel exterius corpori applicetur, ut calor innatus poſſit in ipſum agere, tunc facile percipietur exuberantia caloris, quomodo autem ad actum ducantur, & utrum æqualiter omnia tam calida quam frigida humida & ſicca, ſunt quæſtiones alibi à nobis exquisitiſſime diſputatæ.

His ita declaratis progreſſus noſter erit talis, ut de æquali tantum temperie & de ſimplicibus exceſſibus ſimus loquuturi, facile enim qui ingenioſus eſt, & bene uerſatus in his, quæ iam in prima parte huius primi libri exquisite docuimus, poterit ex ſimplicibus illis uim quoque compoſitorum cognoſcere.

Medicinam igitur temperatam humani corporis reſpectu, uocamus, quæ cum corpori adhibetur temperato, nullum in ipſo facit exceſſum alicuius qualitatis, & in hac nullus aſſignatur gradus ſenſibilis ab ipſis medicis. Nemo enim dicit medicinam

C æqualem

æqualem in primo, secundo, aut tertio gradu. Nam illud quod æquale est & perfectum, unum & simplex est, quod uero inæquale multiplex. Nullus igitur alius actus ab hac medicina prouenit, nisi quod conseruat humanum corpus in eo statu, quem reperit. Quæ uero excedunt, semper alterant ad eam qualitatem, in qua est excessus secundum uarios qualitatis gradus. Incipiamus ergo primo à calida medicina, deinde progrediemur ad reliquas.

Calida medicina semper calefacit, iste enim actus proprius & inseparabilis est. Varij tamen sunt gradus calefaciendi secundum gradus excessuum in temperatura repertos. Galenus autem primus fuit istorum graduum autor & obseruator, & quatuor nobis proposuit, quem nunc imitantes dicimus. Medicinam calidam in primo gradu uim habere augendi calorem innatum, & non igneum. Vnde sequuntur concoctiones, maturationes & reliquæ naturalium facultatum actiones. At quæ ad secundum gradum accedunt, iam alicuius ignei caloris participes sunt, Vnde uim habent attenuandi, rarefaciendi & aperiendi meatus. Calidæ ad tertium gradum exiccant, sitim excitant, incidunt, attrahunt, inflammant, corpusq; tabefaciunt & colliquant. At quarto gradu calefacientia, uescicas inducunt, rubificant, comburunt, mortificant & extinguunt.

Porro frigida medicine sicut & de calidis diximus

dicimus proprium inseparabilemque actum habent, ut
semper refrigerent, uario tamen modo secundum
uarios frigiditatis gradus nam quæ in primo gradu
sunt frigida, calorem innatum refrigerant, ita ut
coctiones & maturaciones proprium finem exacte
non attingant. Sed quæ ad secundum accesserint,
præter nocumenta quæ diximus, crassificiunt, ca-
lorem naturalem manifeste obtundunt, unde cru-
dorum humorum multitudo generatur. Quæ uero
in tertio gradu frigefaciunt, astringunt intrinse-
cos corporis meatus, succum exprimunt naturalem,
distributiones prohibent, stupefaciunt sensus, plum-
beum colorem inducunt. At quæ ad quartum gra-
dum accesserint, congelant, calorem naturalem ex-
tinguunt, & tanquam uenena interficiunt.

Medicinæ humidæ semper et ipsæ humefaciunt, in
quocunq; gradu fuerint. Sed quæ in primo sunt leni-
unt & lubricant. Quæ in secundo, humores acres
obtundunt, crassioresque reddunt, naturalium membro-
rum tonum imbecilliores reddunt. Humidæ in ter-
tio gradu, non relaxant tantum sed languidum red-
dunt. Unde assidua nausæ & uomitus, fluores alui,
lienteriæ, corpus totum pigrum & torpidum effi-
ciunt, motusque omnes & actiones manifestissime
obtundunt. At quæ ad quartum accesserint, plane
suffocant calorem innatum, ut aqua ignem extin-
quit quæ omnino sunt uenena.

C 2 Siccæ

Siccæ medicinae semper in quocumq; gradu & ipsa exiccant, sed quæ in primo tantum gradu hoc efficiunt, reddunt corpora & membra ualidiora, sensusq; uegetiores. Quæ in secundo gradu sunt, iam manifeste astringunt & ueluti ligant, quale ligamentum ipso gustu in acerbis deprehendimus. Siccæ in tertio, meatus omnes angustiores reddunt, humorum transitus intercipiunt, omnes naturæ expulsiões impediunt, succum è corpore exprimunt & tabem inducunt. At quæ ad quartum perueniunt, suffocant, spiritusq; intercipiunt, & mortem inducunt. Tales igitur sunt effectus omnium medicinarum, qui per primas qualitates secundum omnes gradus à medicis obseruatos in humanis corporibus imprimuntur, quibus recte intellectis, haud egre poterit etiam mediocris ingenij uir, iudicare de compositis, uidelicet quos effectus producat medicina, quæ pariter calida sit & humida, calida & sicca, frigida & humida, frigida & sicca.

Ad alia igitur transeundum est, si unum adhuc prius admonuero, uidelicet semper, seruat a tamen paritate, maius nocumentum sequi à frigidis quam à calidis & siccis, quam ab humidis, deterrimæ enim qualitates, & quæ tota regione corporibus animalium opponuntur, frigiditas est & siccitas. Notum est enim omnibus in calido & humido uitã consistere.

PARS

PARS SE- CVNDA.

DE COGNOSCENDIS MEDICAMENTIS TAM EX PAR- TE FORMAE QUAM EX PAR- TE MATERIAE.



Is determinatis non
adhuc tamen acquiescit in-
tellectus medici, qui omnes
suas speculationes ad actio-
nes futuras dirigit, quam-
uis enim esse didicerit dif-
ferentias omnes, quæ tam
materiam, quam formam
consequuntur, nihil tamen ibi actum uidebitur, nisi
discat quoq; quibus argumentis singulæ quæq; ea-
rum differentiarum deprehendi possint.

Dicimus igitur artem medicam in hoc esse sa-
tis certam & perspicacem. Non enim incertis qui-
busdam coniecturis & argumentis procedit, sed sen-
sibus rem attingit, utiturq; præcipue quatuor sen-
suum iudicio, tactu gustu uisu & odoratu, quamuis
nō his omnibus æqualiter. Exacte enim iudicat me-

C 3 dicina-

dicinarum essentiam tactu, & gustu, in alijs uero duobus sensibus rationali coniectura progreditur.

Per tactum igitur quo nam modo singulae quaeque medicinae sint experiendae, exquisitè docet Galenus in libris de simplicibus medicamentis, ideo neque in hac parte multum immorabor, ne frustra sit hic mihi susceptus labor. Cum nihil dicturus sim, quod apud Galenum doctius & ornatus legi non possit, unum tantum hic admonebo eos, qui in hac arte, adhuc rudiores sunt, cum ad experienda medicamenta per tactum accesserint, non expectandum esse primo statim occursum sensum qualitatis, quae in medicina dominatur. Non enim ea qualitas actu est, ut supra docuimus, sed potentia tantum, oportet igitur prius ut ad actum ducatur, si modo facultas eius percipi debeat, hoc autem intelligi oportet de qualitatibus sensu percipiendis, quae consequuntur formam, non quae materiam de his enim paulo post dicemus.

Qui ergo experiri uoluerit medicinam uel calidam uel frigidam, prius oportet corpori applicare, deinde tam diu immorari, donec calor naturalis illam ad actum deduxerit, & tunc apparebit sensus, quid sit iudicandum, nam si piper quoque & euphorbium, quae feruentissima sunt, corpori admoueantur, nullum prorsus caliditatis sensum afferunt, nisi prius ad actum ducantur, Neque ignorare debemus, medicamenta

eamenta omnia primi gradus siue calida, siue fridida fuerint sensu solo non percipi, nisi adiuncta ratione & temporis prolixitate. Non enim ab his, quæ in primo tantum gradu qualitatem aliquam habent sensibilis prouenit affectus, nisi sæpius & in magna etiam quantitate offeratur. Ergo si quis exempli gratia, ptisanam sumpserit quæ frigida & humida est circa primum gradum, frigiditatem eius non prius percipiet, quam obseruando eius impressionem, longo usu & tempore inuectam.

Habitus autem qui materiam consequuntur, alio modo tactu percipiuntur, quam formales qualitates, illæ enim ut diximus, potentia non actu sunt, isti autem habitus sunt actu tales, quemadmodum igitur caliditas ignis & frigiditas niuis statim primo occurso percipiuntur, cum sint in actu, ita & materiales habitus eodem prorsus modo, primo statim occurso dinoscuntur. Nemo enim est qui si rem asperam uel leuem, uel duram, aut molem, & reliqua eiusdem ordinis tetigerit, qui illico non deprehendat talem esse uel talem,

Hactenus de dinoscendis medicamentorum qualitatibus ab instrumento tactus, nunc quomodo sapore quoque discernantur dicendum superest, quamuis Galenus de hoc quoque copiose differuerit, nihilominus nos quæ sparsim ab eo dicuntur, in unum certum ordinem colligemus, multa etiam addemus,

quæ ab eo uel omnino prætermiffa, uel adeo obfcu-
re explicata sunt, inde initium tanquam ex fuppo-
fito capientes, faporem, ficut etiam diximus ubi de
elementis loqueremur, effe maxime annexum fub-
ftantia mixtorum, tanquam qui ex ijsdem princi-
pijs oriatur. Nam cum omnia mixta in fpeciem pro-
prium deueniant, ex certa quadam proportione ca-
lidi, frigidi, humidi, & ficci, ita etiam fapor ex hu-
mido prouenit admixto cum ficco, per actionem
caloris, unde & ipfa natura guffandi fenfum fimul
cum tactu dedit omnibus animalibus, ut per utrunq;
discernerent, quæ illis conuenirent aut non conue-
nirent, iucundus enim omnino & tactus & guffus
eft eorum omnium, quæ tangenti, uel guffanti fe-
cundum fubftantiam conueniunt, quæ uero non con-
ueniunt, illa omnia ingrata, in iucundaq; funt. Eft
enim uoluptas eorum quæ fingulorum naturis afi-
milantur, dolor uero oppofitorum.

Ergo quæcumq; homini in guffu grata & iu-
cunda occurrunt, illa omnia ipfius nature conue-
niunt & afimilantur quæ uero talia funt, dulcia
ab omnibus appellari confueuerunt Non enim dul-
ce tantum intelligimus, quod habet huius faporis
exuberantiam, ficut uidemus in facharo & melle,
fed etiam dulce uocamus quodcumq; guffum natu-
raliter fe habentem delectat, Vnde & uinofa & pin-
guia dulcia uocari mos eft. Imo & quoddam dulce
eft,

est, quod tamen proprio nomine exprimi nequit, sicut sapor ille, qui in pane aut chondro & similibus inuenitur, quia & aqua quæ alioquin insipida est dulcis tamen uulgo appellatur, quoniam scilicet nullum sensum molestum gustanti afferat.

Cum ergo dulcia hæc omnia esse intelligantur, ac consequenter uarij sint dulcedinis gradus sub hac tamen comuni notione contenti, quod gratè sine aliqua molesta alteratione, gustantibus occurrant, statuemus saporem hunc dulcem tãquam temperatum, inter duos recessus medium, respectu suorum extremorum utrinq; positorum. Et cum nos dicamus saporem dulcem medium esse & temperatissimum inter reliquos, non propterea contradicimus Aristoteli, qui dulce & amarum in duobus extremis locauit. Neq; etiam Aristoteles Galeno contradicit. Cum Galenus opinetur, acerbum & acre tota regione aduersari. Cum enim nos dicimus dulcem saporem medium esse inter extremos, saporis notionem sumimus, penes conuenientiam substantiæ, quam habet sapidum cum gustante, & cum sola dulcia ut ostendimus, talem habeant conuenientiam, & alij omnes sapores aliquo pacto magis aut minus aduersentur, ideo medium & temperatum uocamus qui conueniunt, exuberantes uero & à naturali statu recedentes, qui non conueniunt, Aristoteles autem cum duo posuerit extrema, dulce & amarum,

C 5 amarum,

amarum, considerauit solum saporum essentiam, pe-
nes sentientis uoluptatem & dolorem, & cum ma-
xime delectet dulce, maxime molestiam inferat a-
marum, & maxima uoluptas, maximæ molestiæ
aduersetur, ideo dulcedinem & amaritudinem con-
trarios saporos constituit. Galenus autem qui con-
siderationem de saporibus, non propter ipsos sapo-
res, sed propter usum artis aggressus est, contrarie-
tatem summam posuit inter duo, quorum alterum
maxime astringit linguam, alterum maxime dila-
tat, talia autem sunt sapor acris & acerbus, quem-
admodum infra melius apparebit. Nulla igitur di-
screpantia est, si res recte audiatur, neq; inter Ari-
stotelem & Galenum, neq; inter me & utrumq; eo-
rum, statuemus ergo dulcedinem omnium saporum
mediam, ad quam referantur & comparentur re-
liqui, non aliter quam in humanis corporibus, ad
æqualem temperaturam excessus omnes, tanquam
ad regulam quandam à medicis referuntur.

Sed unde nam summentur saporum excessus?
Non ab alia re profecto quam à proprijs immedia-
tisq; causis singulorum. At ubi de alimentis loque-
bamur ostendimus, saporos fieri à uaria mixtione
humidi & sicci per diuersam actionem calidi & fri-
gidi, & cum à calido coctiones omnes proueniant,
à frigido cruditates, incipiamus à saporibus qui in
mixtis corporibus resultant, ubi frigiditas superat
caliditatem, Supra

Superare igitur poterit, uel ubi in subiecto siccum
terreum dominatur, uel ubi humidum aqueum, Si
ergo terrestris substantia dominetur, & aëlio cali-
ditatis non potuerit conficere & attenuare siccum,
& bene commiscere cum humido, tanquam à fri-
gidity excessu impedita, tunc ut par est in eo mix-
to uires terræ dominantur, terra autem tendit ad
centrum, & sua frigiditate astringit & constipat.
Ergo ubi talis substantia terrestris accesserit, pa-
rum deuieta à calore, sequetur sapor in mixto astringens,
constipans, & ad centrum linguæ humoris
impingens talisq; sapor è Græcis σπύφνος, à no-
stris acerbus uocatur.

Si uero frigiditas non ad summū excesserit, sed
aliqua quoq; uirtus caloris, licet obscura, in mixtio-
ne apparuerit, quæ secum parum aliquid humoris
attraxerit, & cum sicco terreo, quodam tenus at-
tenuato permiscuerit, non ea uis astrictionis & con-
stipationis gustanti apparebit, sed tanto remissor,
quanto & plus caloris & humoris concocti inue-
nietur in mixto, sapor igitur huius substantia ab-
solute à Græcis σνπτικός, à nostris austerus uo-
catur.

At si subiecta materia plus habuerit humoris,
quam terreæ substantiæ, calorq; inceperit quidem
in humore coctionem, quæ ad perfectam mixtionem
dirigebatur, sed longe prius defecerit & exhalau-
rit,

rit, quam terminum assequi potuerit, & eo exhalato frigiditas tanquam uictrix in humore permanferit, tunc in ea mixtione sequetur sapor, qui ὀξύς à Græcis, à nostris acidus appellatur, & cum ea substantia ob humoris redundantiam subtilis sit, penetrat ad profundum, neq; in superficie sistitur exiccans et exasperans, quemadmodum terrestris illa, in qua siccum terreum diximus dominari, Et cum in humore egerit calor, qui postea exhalauerit reliqueritq; caliditatis uestigia, subtiliorumq; partium adustionem, ideo quæ acida sunt non tantum, penetrant ad profundum, sed etiam mordicant & abstergunt, ostendemus enim abstergentia & mordicantia oportere huiusmodi esse substantiæ. Et hi tres sunt saporibus qui à medio temperato recedunt per frigiditatis & cruditatis excessum, quorum duo acerbus inquam & austerus in terrea crassaq; substantia fundantur, tertius id est acidus in humida, quæ à calore, qui postea exhalauit, mediocriter fuerit attenuata, & hæc de saporibus qui in mixtis ob frigiditatis excessum emergunt.

Nunc modo de his agendum, qui ob caloris dominium generantur; ubi hoc unum præmitti debet, quod prius explicatum fuit, & nunc tanquam supposito utemur. Dulcedinem fieri propter calorem temperatum, optime commiscentem humidum cum sicco & cum huiusmodi calor remittitur, sequitur

cundum remissionis gradum, tendere primo ad obtusam dulcedinem, deinde ad insipiditatem, ultra quam, iam postea dominante frigiditate emergunt saporis frigidi, de quibus supra satis disseruimus. Quanto uero caliditas magis intenditur, secundum gradum intensiōis, primo fit exuberantia quaedam dulcedinis, ut in sacharo apparet, deinde, si adhuc magis intenditur, exuberat quidem & ibi dulcedo, sed non simplex, imo alijs admixta saporibus, sicut in melle deprehendimus, qui non summam tantum dulcedinem, sed acrimoniam quoq; manifeste praesert.

At si calor hos terminos excesserit, considerare oportet, quod nam subiectum nanciscatur, Si enim siccum terreum fuerit, quod caloris redundantia adusserit & attenuauerit, necessario fit substantia terrestris in eo mixto siccior & tenuior, & magis penetrans ad profundum. Sapor igitur inde resultans primo fit falsus, deinde amarus, falsedo enim aliquot adhuc humiditatis uestigium seruat, quae concocta sit & humanae temperaturae familiaris, Vnde & falsedo in omnibus ferè animalibus gustu acuit & delectat. At ubi tota penè humiditas nimia caloris ui exhausta fuerit, tunc sapor ingratisissimus redditur qui amarus uocatur, ideo amara, quatenus amara sunt, nullū animal nutriunt. Nulla enim superest humiditas, unde alimēti succus elici possit. At
si sub=

Si subiectum in quo ualidus calor & igneus ad mixtionem agat, humorem satis insignem habuerit cum sicco terreo admixtum, attenueturque uis caloris & efferuescat tam humida pars, quam sicca tunc ex huiusmodi commixtione & temperatura resultat sapor, quem ὀξύμυρ Græci, nos acrem uocamus penetrat substantia huius saporis usque ad profundum lingue, tenuitatis ratione, deinde suo feruore dilatat, exiccatur, et tanquam urit, magis tamen & minus, pro ut sunt uarij gradus caloris. Erunt igitur omnino septem saporum genera, quorum tres ob accessum frigiditatis in mixtione contingunt, acerbus inquam, austerus & acidus. Tres alij contra ob caloris redundantiam, salsus, amarus, acris, medius inter hos omnes, ob temperatum calorem est dulcis, in quo multi occurrunt gradus in intensione & remissione secundum uarietatem caloris, quæ enim ad summum coctionis deuenierunt, illa summa etiam dulcedine excellunt, quanto uero ab hac coctionis suauitate recesserint, tanto etiam dulcedinem remittunt, donec ad manifestam insipiditatem deuenierint, in qua neque caloris uis neque frigoris aperte monstratur, intelligo neque caloris neque frigoris uim in insipidis esse manifestam, respectu coctionis & mixtionis, non respectu alterationis, quam in corporibus animalium imprimunt, insipida enim pene omnia in relatione ad corpus humanum
tempe

temperatum, frigida sunt, tales gradus dulcedinis
reperiuntur in sanguine adipe & pituita, sanguis
enim quanto melior, purior, & magis concoctus,
tanto dulcior. Adeps uero qui ab ea coctione san-
guinis recessit, tanto minus sanguine dulcis est,
quanto etiam minus calidus, donec tandem ad pi-
tuitam naturalem deueniatur, quæ propter minimam
coctionem insipida permansit, in qua si postea ca-
lor extraneus aliquid egerit, secundum uarios ef-
fectus ipsius, quos supra nominauimus, modo acida
redditur, modo salsa, modo etiam amara.

Et ex his omnibus satis apparet his, qui in di-
scursibus sunt exercitati, solum saporem dulcem
temperatum esse, atq; ab optima coctione procedere,
& terminatione humidum cum sicco. Vnde esse
etiam corpori humano familiarissimum, quoniam
inter reliqua omnia animalium corpora, tempera-
tissimum est. Cæteros uero sapes omnes, eidem
corpori humano secundum naturam habentur, ingra-
tos insuauesq; esse, modicumq; alimenti succum
ex illis ab inato calore elici posse, & illum quoq;
modicum, malum, naturæq; humane parum idone-
um, pro medicamento tamen ubi dispositiones fue-
rint præter naturam, frequentissime singuli quiq;
utiliter adhibentur & hæc satis de saporibus, qui
temperaturam, medicamentorum alimentorumq;
immediate consequuntur.

Quæ

Quantum uero ad odores attinet, forte non minus quoque ex illis singule quoque temperaturæ intelligi possent, odor enim temperaturam eadem rationis proportionem consequitur sicut etiam sapor. Nam quemadmodum sapor fit, per humidum alteratum per siccum, ita odor, fit per siccum terreum, attenuatum à calore & euaporatum ab humido, Sed quoniam non ita se habet humana natura ad sensum odoris, quemadmodum ad sensum tactus & gustus, qui etiam quidam tactus est, imperfectissime enim inter omnia animalia odorum differentias percipit, ita ut duas tantum sub comuni notione grati & ingrati comprehendat, propterea non possumus ex ipsis odoribus in rerum temperatura aliquid certi elicere. Quod manifestissime ita esse indicatur exemplo rose, quando enim ex rosa odorem iucundum percipimus, illud tantum cognoscimus, uaporem inde efflari optime attenuatum & excoctum, sed quid postea sit in reliqua rose substantia, non deprehendimus, at si eandem rosam gustauerimus, propter exquisitissimum gustandi sensum, nobis naturaliter insitum, facile discernimus, in ea esse amaritudinem, dulcedinem, & quandam austeritatem, & ex his tribus diuersis saporibus colligimus, in rosa diuersitatem esse substantiæ, neque in singulis eius partibus eandem esse temperaturam, quo exemplo relinquitur manifeste, cognitionem

tionem mixtorum quæ ex odore habetur esse ualde imperfectam, exactissimam uero quæ ex saporibus.

At ex colore minimum est quod haberi possit, ex eo enim dispositio tantum apparet, quæ in superficie mixtorum eminet, ad interiorem uero substantiam nullo modo per coloris aspectum possumus penetrare, nihilo minus quamuis essentia temperaturæ obscurissime deprehendatur ex colore & odore, nihil ominus plurimum nobis conferunt, in discernendis naturalibus & non naturalibus dispositionibus, quæ in singulo quoque mixto reperiuntur. Nam & in humanis corporibus tam naturales quam præternaturales habitus, & affectus tum ex colore tum ex odore, non parum discernuntur, in medicamentis etiam & alimentis dinoscendis. Vtrum secundum naturam an præter naturam se habent, quotidiana experientia probamus, quam plurimum nos iuari tum ab odore tum à colore. Et hæc satis de his quæ ad essentiam medicamentorum attinent, nunc modo ad certas eorum actiones accedendum est, ubi uidebimus quantum referat cognitio essentia singularum, quæ maxime per sapes dinoscitur.

Sed prius remouenda est, non contemnenda dubitatio quæ emergit ab his quæ paulo ante asseruimus. Si enim uerum est dulcem saponem, & iucundum odorem indicare conuenientiam, naturæque fa-

D miliari

familiaritatem, quæ est inter sensum & sensibile, tunc reddenda ratio est, quare multa quæ corpori humano applicantur, gustu quidem & odore iucunda, sed adeo aduersa & inimica, ut non tantum lædant, uerum etiam interficiant, huius rei locuples testis est Theophrastus 9. de plantarum Historia, qui plures tum herbas, tum radices commemorat gustu & odore iucundas, quæ tamen interficiunt. Non igitur uidetur certam capi posse coniecturam familiaritatis cum corpore humano, uel medicinæ, uel alimenti quemadmodum supponebamus.

Sunt nonnulli qui hanc difficultatem soluere conati dicant, alimenta & medicinas perpendi uel à tota substantia, uel à qualitatibus, quædam enim sunt quæ manifestis qualitatibus alterant, calefaciendo, frigefaciendo, exiccando, & reliquis similibus, quædam uero tota substantia agere uidentur ut scammonium bilem trahens. Imo & uenena sub hoc eodem censu sunt, quædam enim manifestis qualitatibus interficiunt, ut opium & cicuta, quædam à tota substantia ut aconitum & uiperæ uirus.

Sed qui ita ambiguitatem soluunt, principium petere uidentur. Nam si tota essentia constat ex materia & forma, & forma supponatur ex Hippocrate & Galeno, nihil aliud esse quam temperatura, temperaturæq; distinguantur & denominentur, per calidum, frigidum humidum & siccum, & hæc
omnia

omnia secundū uarios suos excessus, p̄ sapes in-
dicentur, in idem omnino retorquebimur. Nam quā
uis, à tota substantia aliquid operetur, apparebit
tamen operatio secundum determinatum gradum
temperature, supponitur enim forma substantialis
esse & illud, quod est causa essendi. Sed cum sapes
res immediate sequantur uarios gradus temperatu-
re, ut etiam declaratum fuit, concluditur necessa-
rio, semper à saporibus iudicari conuenientiam &
inimicitiam singulorum, siue à tota substantia a-
gant, siue à qualitatibus manifestis.

Vnde omiffa hac solutione dixerunt alij in quo-
libet mixto, quamuis unius simplicis substantiæ uel
formæ esse appareat, plerumq; tamen inueniri di-
uersas partes, non dissimilis tantum nature, sed
etiam contrariæ, ut ostendit Galenus in rosa, cau-
libus, lentibus, absinthio, & quā plurimis alijs, sed
maxime hoc deprehēdimus in coriandro cuius folia
uirentia & flores foetidissimi odoris sunt, & plane
uenenum, semina uero exiccata, gustu & odore iu-
cunda. Aiunt qui in extremas Occidentalis Indiæ
regiones nauigant, nuper repertas, radicem ibi fre-
quentissimam esse cuius succus presentaneum est
uenenum, solidum uero eiusdem corpus, uitæ hu-
manæ saluberrimum, ex eoq; uulgo confici panem
optimum.

Quæ cum ita sint, non uidetur illis mirum si

D 2 aliquot.

aliquot sit uenenum, quod tamen & gustanti & odoranti iucundum appareat, hoc enim esse affirmant propter partium dissimilium naturam, aliam enim partem esse quæ iucunda percipitur, aliam quæ interficit.

Quod quidem nos quoque ita esse non negamus, fatemur enim reperiri plerumque in mixto, partium diuersitatem & contrarietatem, quotidiano tamen usu depræhendimus illas facile gustu discerni, Si quis enim rosam gustauerit, in ea plane distinguit amaritudinem, dulcedinem, & austeritatem. Agaricus etiam primo gustu dulcis, post modum amarus apparet, nec aliunde hanc partium diuersitatem, quam à gustu colligimus. Si ergo uenenum offeratur nobis gustu & odore iucundum, habeat ut lubet partium contrarietatem mirum tamen est quod gustu non discernatur, sicut in reliquis contingit. Longe enim magis in illis apparere deberet, cum partes non dissimiles tantum sint, sed plane contrariæ & omnino uidetur absurdum, qui aliquid uenenum gustu & odoratu iucundum appareat, frustra enim uatura dedisse uideretur hos sensus animalibus qui non ob aliam rationem dati uidentur nisi ut in alimentis discernantur familiaria & inimica.

Alio ergo itinere eum, ut arbitror, progredi oportet qui uelit hanc difficultatem recte explicare. Et=

re. Etsi quispiam assumeret substantialem formam esse ultra temperaturam aliquid diuinius, siue exterius accedens coelitus dimissum, ut uidetur uoluisse Auicenna, siue sit a uirtute formatiua intrinsecus productum per instrumentum caloris innati, non pro ut calor est elementalis sed pro ut proportione respondet uirtuti stellarum, ut uoluit Aristoteles, haud aegre opinor poterit hanc difficultatem absolvere. Nam quamuis per mixtionem certae quaedam in singulis mixtis temperaturae resultant, quae fatiant ipsam materiam, et proximum subiectum alterius conuenire cum altero, poterit tamen secundum eam formam coelestem, et extra omnes materiae conditiones existentem, habere occultam quandam facultatem, quae alteri formae familiaris sit uel inimica. Ideoque omnes fere illustriores uiros tum antiquos, tum etiam iuniores, occultos omnes affectus, siue familiares, siue aduersos, ad hanc causam contulisse, asserunt enim magnetem ferrum attrahere, scammonium bilem non propter aliquem temperaturae gradum, sed quoniam talis est forma, postea, si interrogentur qualem tandem dicant eam esse formam, fatentur ignorare, et in hoc consistit omnium fere solutio cui etiam sententiae uidetur manifeste astipulari Galenus.

Sed de alijs omnibus nihil ultra superest quod contra eos afferatur. Sed de Galeno forte aliquis non ab re dubitaret. Cum enim temperaturam tan-

aperte asserat esse formam substantialem, & ultimum actum mixtionis, haud facile uidetur posse ex hac dubitatione explicari, propterea, quæ superius disseruimus.

Hic ergo paulo altius res repetenda est. Audio enim Galenum possum in hac parte falso uituperari, contraq; eum inepte argui. Si temperatura esset forma, tunc sequi ut forma esset accidens, sequi etiam ut esset uel calida uel frigida humida aut sicca, quæ omnia sunt absurdissima, & hæc ita dicuntur ab illis, quoniam mentem Galeni uel non percipiunt uel false interpretantur. Neq; enim Galenus dicit temperaturam formam esse substantialem, intelligens hoc nomine temperaturæ ipsam, ut ita loquar, Crasim primarum qualitatum & combinationem primorum corporum, ut pleriq; crediderunt, sed illum actum & perfectionem, qui ex tali contemperantia & mixtione consequitur. Non aliter quam si quis in cythara recte temperet graues sonos cum acutis, uario modo tendendo aut remittendo chordas, & inde sequatur concentus harmonicus, nemo iure appellabit, concentum illum tensionem aut remissionem chordarum, neq; contemperantiam grauium & acutorum sonorum, sed erit potius perfectio & harmonia, quæ consequitur, res longe diuiniore & admirabilior, & tamen illa harmonia siue concentus, quamuis sit aliud quã
contem=

econtemperantia & proportio denominatur ab his,
a quibus proxime exoritur, & dicitur consonantia
dupla, uel tripla, uel reliquo, tali proportionum no-
mine. Ita etiam omnino intemperaturis contingit.
Nam per quatuor primarum qualitatum contempe-
rantiam & commixtionem primorum corporum,
resultat perfectio, & actus quidam tanquam harmo-
nicus qui aliud quidem est quam contemperantia prima-
rum qualitatum, ab illis tamen denominatur. Dico
actum quasi harmonicum, non harmonicum, pro-
pter sophistarum importunitates. Nominum enim
defectu transferimus aliunde per metaphoram &
quandam analogiam alienum nomen, & ideo ratio-
nes Socratis in Protagora contra cebetim, proban-
tis formam non esse harmoniam nihil nos offen-
dent. Neque enim dicimus proprie esse harmoniam.
Sed quod illi proportione quadam respondeat.

Talem autem fuisse Galeni sententiam, mani-
festissime ipse indicat tum alibi tum in eo libello,
qui inscribitur quod animi mores temperaturanz
corporis sequantur, ibi enim contra Aristotelem
disputans ait. Cum posuerit ipse animam & reli-
quas formas esse actus, & entelechias corporum mi-
xtorum, seu uelit, seu nolit, cogi, ut fateatur for-
mam esse temperaturam. Nullius enim momenti es-
set argumentum Galeni contra Aristotelem, nisi
supponeret temperaturam esse illum actum & en-
tele-

telechiam, quæ sequitur ex qualitatum contemperantia.

Vnde hic fortasse aliquis recte coniectari posset inter Aristotelem et Galenum uerborum potius quam rei discrepantiam esse, scio etiam Galenum aliquando dixisse, formam esse aliquid diuinius, quam contemperantiam miscibilium.

His ita suppositis à Galeni principijs minime discedentes addemus illud, quod sequitur, Actiones & impressiones calidi, frigidi, humidi sicci relictæ in corporibus propter contemperantiam qualitatum tenere se ex parte corporum & subiecti, ideòque mutuo se inuicem alterari corpora, uel conseruari, secundum conuenientiam uel discrepantiam harum qualitatum, alios uero esse actus magis proprios, & admirandos, occultiores & diuiniore, qui se tenent ex parte formæ, tanquam eius naturam consequentes.

Atq; illæ quidem corporeæ actiones & impressiones facile sensu percipiuntur ab omnibus animalibus, Nullum enim prorsus animal est, quod sensu tactus & gustus priuetur, propria autem obiecta tactus sunt caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas, sicut gustandi sensum sapores mouent, qui immediate illas qualitates sequuntur, quemadmodum supra ostendimus. Ergo quæcumq; uel offendunt uel iuuant ob harum qualitatum rationem, &
omnino

omnino propter aliquam corpoream qualitatem
uel substantiam subiecti, quatenus subiectum est, &
quoddam corporeum, merito percipiuntur ab ani-
malibus per tactum, & gustum & consequenter,
quæ conueniunt delectant, quæ non conueniunt sunt
ingrata.

At ea quæ magis spiritualia sunt & consequun-
tur nobilitatem formæ, longe sublimiora habentur,
quam quæ possint uel tactu uel gustu percipi. Non-
ne uidemus & colores & sonos, cum sint res quæ-
dam magis incorporeæ, & magis formales, nullo
modo mouere sensum tactus uel gustus. Nihil enim
magis delectabit, aut offendet sensum tactus aut
gustus, siue album, siue nigrum, siue consonum, siue
dissonum fuerit. Quod si in colore & sono hæc
ita esse depræhendimus, longè magis apparebit in
his, quæ prorsus & uisum & auditum excedunt,
tanquam longè nobiliora, & ipsius tandem formæ
quatenus forma est uirtutes & actiones. Certe ta-
lia quam plurima non in animalibus tantum, sed in
omnib. mixtis esse, quottidiana experientia com-
præhendimus. Non enim quod magnes attrahit fer-
rum, habet ab aliqua qualitate, seu modo substan-
tiæ, quod corporis naturam sequatur, sed prorsus
ab ipsa forma, quatenus forma est, neq; nos homi-
nes tales sumus, qui uirtutes formarum occultas
depræhendere ualeamus. Nam neq; essentiam ali-

D 5 cuius

cuius formæ cognoscimus, & ignorata essentia quo
modo affectus & uirtutes eiusdem cognoscemus?
Tantum admiratores sumus, & cum per species ua
rias rerum discurremus, obseruamus effectus quos
dam formarum qui omnino excedunt omnem men
suram humani intellectus. Neq; hoc præter ratio
nem est, Forma enim omnino substantia diuina est,
& incorporea, ab omnibus sensibus & imagina
tionibus aliena, neq; proprie est in loco, neq; ab eo
circumscribitur. Ideo sæpe admirando quodam mo
do, & prorsus nobis ignato, per maximam quoque
locorum distantiam, uires actionesq; suas diffundit.

Velle autem rationem indagare, cur forma for
mæ coueniat uel aduersetur, & cur consensus in
ter illas uel dissensus sequatur, quos *συμπάθεια*
& *ἀντιπάθεια* Græci uocant, est (ut prouerbio
dicitur) circa idem saxum reuolui, quæ si recte a
nimaduertisset Hieronymus Fracastoricus muni
ceps meus, uir genere & moribus insignis, summi
que alioqui & prope diuini ingenij, consensus istos
formarum & dissensus, ad absurda quædam semi
naria, & Epicureorum figmenta non retulisset.

Sed de his latius egimus exponentes secundam
partem primi libri Auicennæ. Vbi etiam de conta
gio abunde disseruimus, speramusq; ea commenta
ria (si Deo placuerit) nos esse edituros non qui
dem gloria captandæ gratia, à qua semper fuimus
alieni

alieni sed ut ingenue fatear, erit editionis causa, quod uideo diuulgari disseminariq; à meis auditoribus ea, quæ me legente transcribunt, quæ (Di boni) ita conscribuntur, ut cum mihi quandoq; offeruntur, non amplius ut mea recognoscam, ita sunt corrupta, contaminata, & infœliciter explicata, si quæ igitur erit causa ad publicanda ea quæ quottidie legendo profiteor, erit hæc potissima.

Sed ad rem accedendo, optime mihi uidetur solui posse problema propositum, non discedendo à Galeni fundamentis, supponentes enim temperaturam quando ipsam pro forma substantiali intelligimus, non esse contemperantiam qualitatum primarum, quæ est secundum æqualitatem, uel excessum earum, licet ab illis denominetur, sed esse harmonicam illam perfectionem, quam ex ea contemperantia oriri diximus, quæ sententia uidetur etiam Platonis fuisse in Timæo.

Hæc autem harmonica proportio est quiddam longe diuinius, & extra materiæ conditiones se attollens, quam quis inraditus & philosophicis mysterijs parum exercitatus, imaginari possit.

Quamuis igitur Vulgaribus uiris multa occurrant admirabilia, & quæ pene appareant impossibilia à formarum uiribus progredientia, eruditi tamen uim formarum percipientes, non hæsitant, & si intelligant à pisce qui Remora appellatur nauim
onerat

onerariam detineri, uel à torpedine per rete ad manus piscatoris torporem traduci, facile cognoscent non esse hoc propter aliquam qualitatem, quæ uel à materia, uel à commixtione corporum, uel contemperantia primarum qualitatum proueniat, sed à formæ admiranda potestate. Si ergo inuenietur medicamentum aliquod odore & sapore iucundū, quod tamen hominem interficiat, non erit extra rationem, Sapor enim & odor sequuntur commixtionem corporum & uariam mensuram humidi cum sicco, sed quod postea interimatur homo, hoc est ratione formæ, quæ neq; dulcis neq; calida, neq; alicuius corporeæ qualitatis particeps occurrit, cum penitus sit in corporea & diuinæ naturæ.

Et si aliquis hic dubitauerit, quomodo fieri possit ut stante tanta similitudine in commixtione & contemperantia qualitatum inter hominem & medicamentum ut gustus & odoratus delectetur, & tamen tanta sit discrepantia ex parte formæ. Nam non uidetur rationi consonum, cum supponamus formam esse harmonicam perfectionem, quæ resultat ex commixtione. Non enim effugere posse uidemur, similitudines formarum consequi similitudinem mixtionis, quam sequitur tanquam eius perfectio?

Isti qui ita dubitant, non sunt exercitati in consonantijs & harmonicis proportionibus, Audimus enim

enim consonantiam diapason, quæ est omnium perfectissima, quam apte delectet, si tamen uox per semitonium, uel in tendatur uel remittatur, percipimus maximam dissonantiam, quamuis duæ illæ proportionibus non distent in materia uocum nisi per semitonium, consonabunt tamen diapente, uel diatriton cum diapason, quamuis in materia uocum plurimè distent.

Sed nos longe manifestius deprehendimus in combinatione literarum, Si enim accipitur exempli gratia N. & A. & simul iungantur ita ut N. præcedat A, syllaba erit NA. Si uero præcesserit A. & N. successerit, syllaba erit AN. Hic uides quanta sit differentia & ueluti dissonantia inter AN & NA & tamen quam proxima sint elementa & materia, imo eadem prorsus, ordine tantum differens. Si ergo solus ordo materiæ, tantum potest facere differentiam formarum, quantum magis faciet non ordo tantum materialium corporum, sed etiam substantia paulo magis uel minus immutata. Quod animaduertentes Democritæi philosophi, principia rerum in suis substantijs prorsus immutabilia opinabantur, Sed tantum formarum diuersitatem causari ex sola mutatione figuræ, ordinis & situs eorundem corporum materialium.

Sed uideo me digredi ulterius quam proposueram & ab huius speculationis nobilitate & difficultate

cultate distractum, latius quam par est, euagari. Unde
de contractis uelis ab hac uasti pelagi nauig
gatione desistam, & in tempus magis
oportunum rem totam
differam.

P A R S T E R T I A.



Um haectenus uide
rimus in quibus tota me
dicamentoru essentia con
sisteret, tam ex parte for
mae quam ex parte mate
riae, & quomodo & qui
bus argumentis singulae
quaeq; species & differen
tiae dinoscantur. Nunc mo
do uidendum est, qua nam uia & ratione, singula
quaeq; singulis corporum humanorum dispositio
nibus, recte applicentur. Hic enim erat finis a nobis
intentus, cuius ratione haectenus circa hanc materi
am sermonem produximus.

Satis hoc unum constat, quo nos tanquam prin
cipio

cipio & fundamento utemur eorum, quæ deinceps dicturi sumus. Medicum speculari ut inde ad actionem idoneus efficiatur. Est enim Medicina habitus intellectus, actiuus, & ars quæ necessario ad aliquod opus dirigitur. Finis autem per actionem medici intentus, ipsa sanitas est, quæ uel est conseruanda si adest uel efficienda si non adest. Ac de conseruatione non est iste considerandi locus, spectat enim ad tertiam partem. huius primi libri Auicennæ, & ad Galeni libros de tuenda ualetudine.

In hoc uero quarta parte, quam hoc anno declarandam suscepimus, ut toties audiuiſtis, propositum qua uia & ratione efficiatur sanitas, cum non adest. Huius ergo artificij prius totum fundamentum recte constitui oportet, postquam de uenimus ad medicantium considerationem, quæ sunt unum ex potissimis instrumentis quibus sanitas efficitur. Ita ergo exordiemur discursum, Sanitas in corpore humano, quando non adest, effici nullo modo poterit, nisi prius alteretur immuteturq; corpus. Cum enim aegritudo sanitati opponatur, expelli non potest nisi per ea, quæ sunt aegritudini contraria, sed progressus de uno contrario ad aliud necessario est sub aliquo genere motus, Ergo medicina quæ erit sanitatis operatrix, contraria erit aegritudini sub genere alterationis. Cum enim substantia substantiæ non sit contraria, oportet ut contrarietur
per

per aliquam qualitatem, in his enim proprie contrarietas. Sed cum medicina, sicuti diximus, quemadmodum & reliqua omnia mixta, constet ex materia & forma, qualitates in illa existentes, uel materiae uel formae naturam consequentur. De quibus omnibus cum iam haecenus exquisite egerimus, supponentes modo totius nostri artificij subiectum esse corpus humanum, in quo operamur quaecumq; operamur, ac propterea addentes aegritudinem expelli per ea quae sunt illi contraria, cum nunc de Medicinis agamus, quarum proprium est expellere aegritudinem, sequetur proculdubio, quod medicinae, in quantum medicinae sunt, sint contrariae ipsis aegritudinibus. Et cum per qualitates contrariantur non per substantiam, sequetur etiam, quod sit semper aliqua qualitas, quae sit proxima causa alterationis & immutationis. Sed cum omnia contraria, inter quae est actio & passio, necessario sint sub eodem genere proximo, tunc etiam sequetur, quod omnis qualitas medicinae erit sub eodem genere proximo cum qualitate morbi expellendi.

Cum ergo qualitates medicinarum sint à nobis distinctae, tam quae se tenent ex parte materiae quam quae se tenent ex parte formae, oportet nunc singula singulis comparare, Vbi apparebit quam necessaria sit, tota praecedens speculatio ad artem & operationes Medici, & quod haecenus non de uanis,
qui=

quibusdam figmentis disputauerimus, sed de his
quæ sunt ad praxin sumopere necessaria, sine qui-
bus medicus secundum rationem operari non po-
test.

Incipiamus ergo prius à differentijs, quæ se te-
nent ex parte materiae, & exerceamur in illis tan-
quam agentes & in speculatione quodam modo o-
perantes, Postea accedemus ad qualitates, quæ se te-
nent parte formæ.

Materiales ergo qualitates, sicut audiuiſtis, ferè
tales erant, raritas, densitas, grauitas, mollities, du-
rites, asperitas, leuitas, crassitudo, tenuitas, friabili-
tas, uisciditas, uacuitas, plenitudo. Ponatur ergo cor-
pus humanū in sua substantia uel aliqua eius parte
rarefactum esse præter naturam. Ut inde actiones
loedantur, Constat hic esse ægritudinem, quæ se te-
net ex parte materiae humani corporis. Ergo oc-
currendum illi est ex his, quæ supposuimus, cum me-
dicina, quæ sit ei opposita sub eodem genere proxi-
mo. Erit igitur medicina talis, quæ habeat uim con-
densandi: quomodo ergo per Methodum erit inue-
nienda?

Sciuiſtis ex his quæ superius docuimus, illud cor-
pus rarum appellari, quod in se plures habet atq̃
amplos meatus, & in quo partes dissident à parti-
bus ergo si rarum condensari debet, oportet inue-
nire medicinam, quæ comprimat & meatus strictio

E res

res reddat, & quæ faciat ut partes magis adhaereant partibus.

Sed iam docuimus si recte meministis, omnes medicinas in quibus uel sapor acerbus, uel austerus dominatur, esse temperaturæ frigidae, & substantiæ terrestris, Vnde necessario cum tales sint, constringunt, constipant, comprimunt, ergo densabunt. Hac igitur uia progredientes facile inuenietis iudicio gustus, quæ medicinae sint aptæ ad condensandum corpus, uel partem eius quæ fuerit rarefacta. Contrario modo si corpus fuerit seipso densius redditum, & propter densitatem sequatur ægritudo, proculdubio rarefactione indiget. Quæ rarefaciunt eadem methodo inuenientur, indiget enim rarefactio medicina calida, & subtili, quæ penetret ad profundum & dilatet, sed didicistis iam omnes medicinas, in quibus est sapor acris, habere in se substantiam tenuem cum calore feruido & igneo, Ratione igitur tenuitatis penetrant ad profundum. Ratione feruidæ caliditatis dilatant & asperiunt, igitur medicinae acres magnam habent uim rarefaciendi, quod erat propositum.

At si corpus plus æquo & præter naturam fuerit induratum, statim indicat mollificatione indigere. Indurari diximus ea, uel quæ frigore congelantur, uel quæ nimia siccitate arescunt, uel quæ nimium replentur sicut uter, singula istæ differentiæ habent suas

suas oppositas contrarietates, Si ergo aliqua pars corporis induretur, quoniam humores in ea existentes, à frigiditate fuerint congelati, sicut contingit in scirrho à materia pituitosa pendente, huic dispositioni occurrendum cum eo, quod sit illi proprie contrarium, Tale autem est quod dissoluit congelata, Ostendimus autem superius quaecumq; sunt indurata à frigore, dissolui à calido, hic ergo calidæ medicinæ erunt applicandæ, sed cum supra quoq; docuerimus omnia, quæ excedunt secundum gradum caliditatis, immoderate exiccare, ideo calida quidem hic sunt admouenda, sed moderate calida, quæ primum uel secundum gradum non excedant, alioquin non mollificabimus sed indurabimus, supra enim audiuitis, quod ea quæ indurantur, uel per congelationem induratur, uel per nimium calorem resoluentem humidum & exiccantem. Cauendum igitur est, ne dum tentamus mollificare, quod est per congelationem induratum non deducamus ad aliam duritiem, quam fieri diximus per exiccationem.

Cum itaq; inuentum fuerit certa uia ac ratione materiam in corpore humano, à frigore induratam à calore esse resoluendam, qui non resoluat, sed tantum dissoluat. Talem autem calorem nullo modo secundum gradum excedere, uideamus modo qua methodo sint inueniendæ huiusmodi medicinæ. Ostendimus omnia dulcia habere in se modera

E ij tunc

tum calorem, & bene temperatum humidum cum
sicco, & quanto sunt in dulcedine remissiora, tanto
etiam habere calorem magis remissum cum maiori
copia humoris. Tendit enim ut ostendimus, quod in
dulcedine remittitur ad insipiditatem aqueam, Si
ergo inuenienda erit medicina, quæ sit moderati
admodum caloris, eligemus ea, quæ sunt pinguia, in
his enim omnibus, ut diximus est dulcedo remissa,
ergo olea bene matura, & pinguedines animalium
temperatorum recentes, in quibus non est acrimo-
nia, neq; alius sapor præter illam remissam dulcedi-
nem, omnia sunt apta ad molliendum, quæ sunt in-
durata in humano corpore à frigore si debite fue-
rint applicata. At quæcumq; indurata sunt per
humidi resolutionem, sicut contingit in scirrhis à
succo melancholico pendentibus, tunc huiusmodi du-
rities à duplici causa facta est, uidelicet à caliditate
resolvente humidum, & postea à frigiditate expri-
mente & congelante, sicut ostendimus fieri in late-
ribus & uasis fictilibus, & tunc dicimus hanc duri-
tiem nullo modo mollificari posse. Nam neq; à cali-
do cum sit indurata per calorem, neq; à frigido cū
hic quoq; conuenerit frigiditas congelans & expri-
mens, sunt ergo omnes tales scirrhi in curabiles, ab-
lacione tantum indigentes, uel per ferrum, uel per
ignem. At si contigerit, ut ista durities, uel scirrhus
nondum deuenit ad tantam malitiam, ut totus hu-
mor

mor fuerit exhaustus, tum à caliditate resolvente,
tum à frigiditate exprimente, curari quidem po-
test, sed difficulter, quomodo igitur mollitiem ten-
tabimus. Certum est hanc duritiem calidis rebus
non indigere, Caliditas enim ut in precedentibus
ostendimus, in quocumq; gradu fuerit, semper cale-
facit, & cum hic supponamus duritiem factam pro-
pter calorem resolventem nullo gradu caloris in-
digemus, quid ergo? Numquid medicinam frigidam
adhibebimus? At iam ostendimus à frigiditate ex-
primi humiditatem, ergo à frigidis quoq; durior
reddetur hic scyrrhus, Cum supponatur hanc duri-
ciem factam propter humiditatis indigentiam. Di-
cimus spectandam esse huius scyrrhi qualitatem &
essentiam, Nam si in loco ubi scyrrhus est perseue-
rabit adhuc caliditas ignea, quæ continuè resoluat
humidum, & consequenter magis exiccat & indu-
ret, tunc proculdubio frigida erunt applicanda, ut
scilicet sedetur calor resolvens. Sed quoniam hu-
iuscemodi curatio potius dirigitur ad causam quam
ad effectum, ideo quæ applicantur non tantum de-
bent esse frigida, sed etiam humida, Nam per fri-
giditatem remouebitur effectus, id est siccitas quæ
facit duritiem. Non abs re igitur medici scyrrhis
huius modi applicant frigida & humida, qualia
sunt succus solani, oleum rosatum completum, & re-
liqua huius modi. Ad quorum omnium inuentionem

E. iij. illi

illi ijdem saporēs semper nobis deseruiunt . Ostem-
sum enim est, quæ ita frigida sunt & humida, ut ca-
lor ibi nihil operatus fuerit notatu dignum, neq;
exhalauerit, & uestigia eiusdam putredinis relique-
rit, ut euenit in his quæ acescunt, omnia illa insipi-
dum habere saporem, ut maxime apparet in aqua
& in omnibus mixtis, in quibus aquea substantia
dominatur, talia sunt omnia medicamenta, quæ ha-
bent uim refrigerandi & humectandi, nisi forte ha-
buerint substantiarum diuersitatem sicut de corian-
dro & lentibus iam prædiximus. Ergo hac ratione
solani succus indicabit ex suo sapore uim refrige-
randi & humectandi, est enim insipidus. In oleo e-
tiam rosato, quamuis in eo diuersæ substantiæ sint
rosarum ratione, uti diximus, in eo tamen domina-
tur sapor insipidus, ut gustanti manifeste apparet,
& consequenter ea substantia, quæ uim habet refri-
gerandi & humectandi. Hic igitur quoq; sicut in
omnibus alijs saporum iudicio medicamenta discer-
nimus, quæ proposito scyrrho conueniant uel non
conueniant.

At si fuerit tertia species duritiei, quam fieri o-
stendimus propter repletionem, sicut maxime con-
tingit in abscessu flatuoso, & in tympanite, certum
est sumpta indicatione ab ipsa rei natura, euacua-
tione talem duritiem esse curandam, pleno enim op-
ponitur uacuum, & iam suppositum est semper con-
traria

traxia contrarijs curari, contrariaq; esse sub eodem genere proximo. Erit igitur hic procedendum cum his, quæ uim habent euacuandi. Accedemus itaq; ad duos illos habitus oppositos, plenitudinis & uacuitatis, quos iam proposuimus. Maxima enim affinitas tertiæ illius duritiæ cum plenitudine & uacuitate id necessario postulat.

Cum plenum igitur fuerit corpus, uel eius pars præter naturam, proculdubio erit euacuandum, si ad naturalem habitum sit reducendum. Euacuatio autem plurimis modis fit, uel enim discutiendo per halium, uel abstergendo, uel abluendo, uel lubricando, uel soluendo, & secundum uarias istas actiones, uarij quoq; ut par est medicamentis indigemus. Quando ergo per halitum sit educenda, uel euacuanda materia, ut contingit in abscessu, in quo iam humor defluxerit, neq; amplius fluat, natura huius abscessus quantum in se ipso est, semper indicat, ut à loco fiat euacuatio, hoc autem commodissime fit, per eam digestionem quam ex halitu habemus, si ergo materia replens abscessum fuerit flatus, indigemus his quæ aperiunt meatus, quæ rarefaciunt, quæ attenuant, & augeant calorem, flatus enim non propter aliam rationem in eo loco concluditur & coarctatur nisi quia crassior est, quam possit difflari per poros cutis, & quoniam in eo loco non est tantus calor, qui possit ipsum concoquere. Semper

enim flatus prouenit à calore diminuto. Ergo me-
rito indigemus rarefacientibus, attenuantibus, &
augentibus calorem, talia docuimus esse, quæ sunt
calida in secundo & tertio gradu, in his autem gra-
dibus, sed præcipue tertio calida sunt, quæ gustan-
tibus acria occurrunt sicut pulegium, calamentum,
nasturcium, & reliqua huiusmodi. Si enim à meno-
ria uestra non excidit, ostendimus quæcumq; ha-
bent acrimoniam ad profundum linguæ penetrare
propter tenuitatem substantiæ, & ubi penetraue-
rint dilatate, rarefacere, & exiccare propter fer-
uidum calorem. Ergo quando per halitum eua-
cuare uoluerimus merito indigemus his, quæ acria
sunt, in illis enim habentur omnia, quæ ad talen di-
gestionem diximus esse necessaria.

Vbi uero materia replens fuerit euacuanda per
abstersionem, quod maxime contingit, quando im-
pingitur in meatibus, siue fuerint intrinseci iue ex-
trinseci, & ita impingitur ut obstruat, & impediât
transitum eorum, quæ sunt uel attrahenda uel ex-
pellenda, In his casibus, ubi talis fuerit repletio
maxime indigemus abstergentibus, Absurgere ni-
hil aliud est nisi exiccare & excutere quodcumq;
pertinaciter inhæret, oportet igitur primo, quod
abstergit tria in se habere. Primo, quod penetret ad
profundum, secundo quod exiccet, tertio quod ex-
cutiat penetrare ad profundum. attinet ad substan-
tiam

tiam subtilem . Nihil enim penetrat, nisi quod subtile est, oportet ergo, quod abstergit habere in se subtilitatem substantiæ. Illud uero quod desiccet, habet uim uel exprimendi, uel resoluendi, Expressio fit à frigido, resolutio fit à calido, Oportet igitur, quod abstergit habere in se, uel siccitatem cum calore, & ista est siccitas ignea, uel siccitatem cum frigore, & ista est siccitas terrea. Ergo illa, quæ abstergunt præter subtilitatem substantiæ, habere etiam necessario siccitatem, uel calori, uel frigori adiunctam. Tertio cum abstergentia debeant quoque excutere, hoc fieri non potest, nisi uel maturando, aut dissoluendo per halitum, uel abluendo aut lubricando. Ergo abstergentia erunt quæcumque inter istas differentias contenta fuerint.

Quædam igitur abstergunt, quoniam in se habent subtilitatem substantiæ cum siccitate permanente, & cum calore resolvente, & talia sunt omnia amara & salsa, quatenus enim salsa & amara, eatenus habent siccum terreum extenuatum, rarefactum & adustum calore igneo, sunt igitur sicca terrea, sed attenuata & rarefacta. Habent ergo uim penetrandi, habent siccitatem permanentem, Est enim in his siccum terreum, habent caliditatem resoluentem & expellentem, hoc igitur modo mundificant, & abstergunt omnia illa, quæ amara uel salsa sunt, Mel uero abstergit, quoniam in eo primo sunt partes sub

B S tiles

tiles attenuate per calorem. Vnde etiam habet acrimoniam. Ratione igitur illius attenuatae substantiae uim habet penetrandi ad profundum, habet deinde calorem ualidum resoluentem & discutientem, habet praeterea partes aereas & aqueas optime commixtas & contemperatas à calido, ut ostendit eius uisciditas, Ergo propter hanc substantiam uiscidam, uim habet lubricandi, lubricant enim quaecumque uiscida sunt, ut patet in oleo & pinguedine, ergo mel abstergit penetrando, exiccando, resoluen- do, & lubricando. Et idem fere potest resina The- rebinthi, abietis & reliquarum arborum fere pro- pter easdem rationes, Reperiuntur enim in resinis, & tenuitas substantiae, & calor, & uisciditas, in hoc tantum differunt à melle, quod pars terrea magis est adusta, & ideo loco dulcedinis habent amaritu- dinem. Cuius signum, quod si mel quoque excoqua- tur, ulteriore coctione redditur amarum, adurun- tur enim partes terreae in ipso existentes. Vnde lo- co dulcedinis succedit amaritudo.

Sacharum quoque eadem fere ratione abstergit, nisi quod imbecillius operatur, ideo abstergendo non mordicat sicut mel, neque enim habet feruorem mor- dicantem, propter redundantiam humiditatis, & aëreae substantiae, inde est, quod si ulceribus oculo- rum applicetur, non mordicat sicut mel.

Cremor uero hordei abstergit, quoniam in eo
primo

primo siccitas est cum tenuitate substantiæ, & ideo penetrat & exiccat, postea propter uim aquæ quæ illi admiscetur abluit & abluendo expellit, quod exiccavit.

Nec dissimili ratione acida omnia abstergunt, nisi quod abstergendo mordicant, & hoc euenit propter partes terreas adustas à calore putredinis, qui postea exhalauit, ut diximus in causis saporis acidi.

Sunt tamen quedam quæ improprie abstergunt propter asperitatem partium & inæqualitatem, quæ idem faciunt, quod scopa solum conuerrens, ut puluis margaritarum, corallorum, pumicis, spongiæ ustæ, habent enim maximam uim exiccandi, & propter asperitatem conuellunt simul & attrahunt, sordes inhxerentes. Tale quippiam facit helxine, quam uulgo parietariam uocant, & hippuris quæ cauda equina appellatur, & reliqua huius modi lomentū etiam fabarū, orobi, lupinorū, huiusmodi abstergunt sua exiccatione, & quia propter raritatem substantiæ imbibunt succum, & humorem materiæ in loco existentis, unde maxime conueniunt mundificandis & extergendis ulceribus sordidis, et plurimo ichore manantibus, exugunt enim & imbibunt quidquid est redundantis humoris, & sine aliqua mordicatione exiccant, de abstersione satis.

Nunc de ablutione dicendum. Est autem ablutio leuis quedam abstersio, quod enim facit abstersio in profundo, facit ablutio in superficie, non enim
tanta

tanta est tenuitas in his quæ abluunt, ut eorum substantia penetrare possit ad profundum corporis abluendi, Sunt enim aquea prorsus & detergunt superficiem corporis, propter plurimam uim humiditatis quidquid enim sordis supereminet, diluunt & ad defluxum parant. Vnde uidemus quæcumq; abluunt colorem recipere sordium, quæ abluuntur. Ergo quæcumq; abluunt, substantiæ aqueæ esse prorsus oportet, ideo insipida sunt.

Ablutio tamen & abstersio, imo etiam lubricatio, frequentissime commiscentur, Lubricatio enim ut supra diximus, fit ab ijs, quæ sunt mollia & uiscida, Talia autem maxime sunt pinguia & oleaginea, quæ cum habeant in sua mixtione plurimum aëris optime contemperatum cum humido aqueo, qua ratione habent totam superficiem maxime leuem & æqualem, Lubricant & lubricare faciunt, quæcumq; illis adherent, Videmus enim omnia corpora, in quibus est leuis & æqualis superficies, omnia esse lubrica, ut patet in tersa glacie, & expolito marmore, & in reliquis huius modi.

Quando igitur per lubricationem purgare uolumus, exhibemus ea, quæ pinguia sunt, sicut oleum bene maturum, butyrum iura pinguia, & alia huius generis, unde fit per simplicem lubricationem euacuatio. Sed sæpe contingit, ut dicebamus abstersionem, abluionem, & lubricationem commisceri.
hoc

hoc patet in aqua mulsa, abluit enim propter aquae
mixtionem lubricat propter mellis uisciditatem, ab-
stergit propter acrem dulcedinem, si modo uera
sunt, quae supra ex suis principijs ostendimus esse
uera.

Lixiuum etiam cum sapone hoc idem praestat.
Nam & in ipso est aquae redundantia abluens, &
uis cineris siccantis & abstergentis, est sapo in quo
simul est & uis lubricandi ab oleo, & uis abster-
gendi à calce, uel à cinere:

Aqua salsa abstergit simul & abluit, Astergit
quidem propter salsedinem, abluit propter aquae re-
dundantiam, non tamen lubricat, neq; enim in ea
est aliqua uisciditas, quum constet ex puris partibus
terreis adustis, & aquae redundantia, Visciditatem
autem ostendimus fieri propter plurimam aëris
commixtionem cum aquea substantia, & haec suffi-
ciant, quantum ad breue compendium attinet de
euacuatione, quae fit per abstersionem, per ablutio-
nem, & per lubricationē, tam simplices quam com-
positas, qui enim sagacis ingenij est in reliquis om-
nibus medicamentis discernere poterit ex modo
substantiae, & ex saporibus, quae lubricent, quae ab-
stergant, quae abluant, & quae haec omnia & aliqua
simul faciunt, poterit inquam, nisi torpide & osci-
tanter audierit, quae supra docuimus.

At dicet aliquis. multa quoq; euacuant compri-
mendo

inueniendo, ut Galenus ostendebat in Cytonio, & Iohannes
Mesue in Myrobalanis, cur tu hunc modum euacuandi
prorsus omittis? Sciant, qui ita dubitant me
consulto præterisse, quod enim astringit & comprimit
quatenus tale est semper retinet & sistit.
Retentio autem & quies contraria est euacuationi
& motui, & ab eodem, in quantum idem, non possunt
prouenire contraria. Sicut igitur nemo dicet
aquam frigidam calefacere, licet quandoque hoc per
accidens efficiat, sua frigiditate comprimendo &
retinendo calorem exhalantem, ita Citonium &
Myrobalanos dicimus euacuare comprimendo, non
quidem quod per se euacuent, imo potius astringunt,
& quantum in seipsis est retinent, Sed accidit,
ut tali astrictione & compressione exprimant,
quidquid humoris intra rem comprimentem fuerit,
cuius signum euidentissimum est, quod si Citonium
post cibum summatur, euacuat, cum plurimus humor
infra ipsum iacet, quem comprimendo & astringendo
possit exprimere, & hoc præcipue contingit, si cibi
prius assumpti fuerint liquidi, & lubrici facileque
excidentes ut refert Galenus de eo, qui ante Citonium
comedebat pinguia & maluas. Maluæ enim & pinguia
reuera euacuabant aluum, sed Citonium comprimebat
& astringebat, ex qua astrictione accedebat motus
maluarum & pinguium, per se lubricatione & ablutione
euacuantium, Vnde

Vnde si Citonium ante cibum sumatur, etiamsi post exhibeantur lubricantia & euacuantia, impedit tamen euacuationem, quoniam constringit, & comprimit, & non habet quod exprimat.

Apparet igitur hinc manifestissime, propriam Citonij operationem esse adstrictionem & retentionem, accidentalem uero euacuationem.

Eadem ratio de Myrobalanis est, quatenus uim habent astringendi & comprimendi, Nam forte in Myrobalanis est alia uirtus ratione formæ, qua euacuant bilem, phlegma & succum melancholicum sed de ijs uirtutibus suo loco loquemur.

Quum igitur hactenus de euacuatione dixerimus quæ fit per halitum, per abluionem, per absterisionem & lubricationem, superest quinta quæ fit per solutionem uocamus solutionem more uulgarium medicorum, quæ fit per attractionem uirtute propria, & occulta pharmaci, quæ sequitur rationem formæ, sicuti supra diximus, trahitur enim & in attractione eligitur humor proprius, siue hoc sit per similitudinem & conuenientiam formarum ut uoluit Galenus, siue propter aliud, ut uidetur sentire Auerroes, quacumque causa id sit, non est hic determinandi locus, fortasse enim humano intellectui penitus est occultum ut supra etiam inuimus.

Sed hic unum animaduertere oportet, nos propter

pter maximam rerum affinitatem institutam ordi-
nem quod antenus peruertisse, qua tamen peruer-
sione nihilo propterea erit doctrina nostra dete-
rior, quum instituissemus prius agere de ijs omni-
bus, quæ se tenent ex parte materie, deinde de ijs,
quæ se tenent ex parte formæ, Nunc in euacuatio-
ne actiones illas confundimus, nam quæ soluendo
euacuant, imo & quæ per halitum, habere uiden-
tur tales uirtutes à forma, non à materia. Causa
huius confusionis est ea magna quam diximus, uir-
tutum affinitas, Si enim rem medullitus spectaueri-
mus, nulla profecto uirtus est, quæ ab aliqua forma
non proueniat, Imo nihil aliud est uirtus, nisi for-
mæ perfectio, sed quoniam subiectum proximum
mixtorum, habet in se, sui ipsius ratione formas pro-
prias, præter ultimam, quæ est actus totius, quod ma-
xime apparet in animalibus, & plantis, & cæteris
omnibus, quorum subiecta habent parte dissimila-
res. Ideo distinximus uirtutes, quæ sequuntur natu-
ram subiecti, à uirtutibus consequentibus ultimam
formam, & si quandoq; confunduntur, euenit pro-
pter multam affinitatem, & unionem materie cum
forma, Sed unusquisq; accipiet hæc quomodo cumq;
libuerit, neq; sit molestus in superuacuis. Non enim
futura est propterea doctrina nostra deterior.

Dicimus igitur plenum corpus, quod euacuari
debet per ea medicamenta, quæ uim habent soluen-
di, &

di, & proprium humorem attrahendi, quale esse debeat, & quomodo preparandum, non esse hoc loco explicandum, proposuimus enim agere tantum de medicamentorum uirtutibus, & actionibus.

Habent ergo soluentia medicamenta principum huius solutionis ex parte formæ. Quamuis nonnulli asserant, id fieri propter qualitatem manifestam, uolunt enim caliditatem causam esse propriam & per se solutionis, ideo omnia soluentia medicamenta calida esse. Contenduntq; hanc sententiam fuisse Galeni, quos ego alibi diffusius ostendi longe ab errare, non tantum à ueritate, sed etiam à Galeni sententia, pauca tamen & hic repetam euidentiore doctrine gratia. Nam si caliditas esset causa per se solutionis, tunc sequeretur omnia calida uim habere soluendi, quod manifestissime falsum est, plurima enim sunt etiam feruentissime calida, quæ tamen nullo modo soluunt, sicut piper, gingiber, nasturtium, sinapi & multa huiusmodi, Præterea sequeretur, quod attractio fieret eorum, quæ magis apta essent, ad attractionem, nulla habita electione alicuius humoris. Calor enim trahit quicquid est illi magis obuium, & magis paratum ad hoc, ut trahi facile possit.

Sed medicamentum solutiuum eligit, quod attrahat, etiamsi fuerit magis remotum & minus paratum, Exempli gratia, quod uim habet trahendi

F pitui-

pituiam, attrahet ipsam usq; à iuncturis, etiamsi
crassissima fuerit dimissa interim bile, tum magis
propinqua, tum magis parata ad hoc ut traheretur.
Ergo non est attrahi propter caliditatem, sed pro-
pter uirtutem occultam formæ.

Præterea sequeretur, si caliditas esset ratio for-
malis attractionis, quod quanto aliquid esset cali-
dius, tanto magis attraheret, quod est manifeste
falsum, colocynthis enim & elaterium trahunt uali-
dissime, cum tamen longe minus calida sint, quam
sinapi aut nasturtium.

Neq; ualet argumentum eorum concludens pro-
pterea caliditatem esse causam per se solutionis,
quoniam omnia medicamenta soluentia calida sunt.
Est enim hic fallacia consequentis, ac si diceremus,
omnes homines habent sensum tactus, ergo quæ-
cumq; talem habent sensum homines sunt, Argui-
tur enim hoc modo in secunda figura ex puris af-
firmatiuis.

Esse etiam hoc manifestissime contra Galeni
mentem cum alibi sæpe ostenditur, tum manife-
stissime apparet in secundo de facultatibus natura-
libus, ubi de uirtute attractoria disputat contra
Erasistratum. Non est igitur ea soluendi uis for-
maliter ratione caliditatis, licet fateamur ut par-
est, caliditatem quoq; maxime ad attractionem con-
ferre, non tamen ut formaliter efficiens, sed ut di-
sponens

ſponens, aperit enim uias & fortioſorem facit attra-
ctionem, proprium caloris eſt attrahere in uniuersum, ſed proprium uirtutis formæ eſt, attrahere
hoc magis quam illud, Incipit ergo uniuersalis at-
tractio à calore, ſed particularis huius, uel huius hu-
moris, à ſola uirtute formæ perficitur.

De hac igitur formæ uirtute nihil eſt, quod ul-
terius dicamus, quam quod hætenus ab optimis au-
toribus traditum fuit, eſſe proprietatem quandam
occultam, quæ ſequitur eſſentiam formæ, prout for-
ma eſt & perfectio, & non prout eſt ultimus actus
mixtionis.

Hoc unum tantum obiter addemus, multa eſſe
medicamenta, quæ uulgo creduntur lubricando, aut
abſtergendo, aut comprimendo euacuare, & non
ſoluendo, & ideo medicamenta benedicta paſſim
uocantur, quæ tamen & ipſa uim habent ſoluendi,
in hoc tantum ab alijs differentia quoniam magna
& inſignis quantitas requiritur, ſi manifeſte ſol-
uere debent, neq; hoc ignotum fuit Galeno & an-
tiquis Medicis, quamuis ſub obſcure explicauerint.
Nam cum Galenus dicit, aloen bilem purgare, Actua-
rius Iohannes Meſue medullam ſiliquarum caſiæ
purgare humores craſſos & aduſtos, Myrobalano-
rum alias bilem, alias ſuccum malancholicum, alias
pituitam trahere, neceſſario intellexerunt in illis
communibus uim eſſe ſoluendi, neq; enim proprium

Et determinatum humorem purgarent, propter manifestam qualitatem, ut paulo supra ostendimus. Innuit etiam Galenus hoc ita se habere, cum de Aloe loqueretur, Ait enim aloes uirtutem non transire ultra uenas mesaraicas, nisi detur in magna quantitate. Ergo si in magna quantitate dabitur, trahet etiam a remotioribus, et tanto ulterius procedet uis eius attractoria, quanto augebitur quantitas. Est enim Regula dialectica, ut se habet magis ad magis, ita simpliciter ad simpliciter.

Ergo neque aloe abstergendo solum purgat, neque medulla cassiae lubricando, neque Mirobalani comprimendo, sed inest in illis quoque uis certum humorem attrahendi, quod habent a forma specifica. Sed latet huiusmodi uirtus, quoniam debiliter hoc faciunt. Requiriturque magna quaedam et insignis quantitas, si insignis attractio apparere debeat.

Contra euenit in scammonio, colocynthide et reliquis huiusmodi, maximam enim habent attrahendi uirtutem in parua quantitate, quam habere non possunt, quae benedicta uocantur, nisi in maxima. Poterit hoc unusquisque experientia facile comprobare, si dederit alicui exempli gratia, granum unum scammonij, et alij tres aloe drachmas, uidebit enim ex uno grano scammonij, purgationem paucam, leuem et sine aliqua molestia successuram, neque enim trahet propter exiguam quantitatem, nisi

nisi quod illa proximum est, sicut etiam facit aloes drachmæ, Sed in alio qui tres aloes drachmas sumpsit, laboriosam admodum purgationem diuersorum humorum, quandoq; etiam usq; ad sanguinem, non sine maxima molestia.

Hinc depræhendes non differre malitiam & uirtutem horum medicamentorum, nisi maioris & minoris ratione, sed de his à nobis alibi est copiosius disputatum satis igitur hucusq; uidimus, quot modis plenum euacuari potest.

Nunc contra uidendum quomodo uacuum repleri oporteat, id fieri nullo modo potest, nisi sciatur, quomodo uacuum sit, cum nobis offertur, quandoq; humore substantifico, Si alimento uacuetur, uel corpus, uel aliqua eius pars, constat repleri oportere cibus congrue & conuenienter exhibitis, & hoc spectat ad eam medicinæ partem, quam analecticam Græci nocant, Nos resumptiuam, At si pars aliqua substantifici humoris uel solidæ substantiæ deficiat, ita ut inde impediatur actio, habet in hoc quod agat pars Medicinæ Therapeutica, quam uis sit & huius modi actio ualde affinis his, quæ sit in parte tuendæ sanitatis.

Replet igitur partem uacuam ars curatiua, præter cibaria conuenienter exhibita, cum his quæ prohibent citam expulsionem uel difflationem per halitum. Cita expulsio prohibetur cum astringen-

F 3 tibus

tibus & acerbis, quæ enim astringunt, retinent. Retentio expulsionis prorsus opposita est, Difflationem per halitum prohibent, quæcumq; opplent & oblinunt poros, quæ Græci ἐμπλαστικά uocant, talia sunt, quæ ex substantia crassa & uiscida constant, saporemq; habent, uel insipidum, uel remisse dulcem, talia sunt pleraq; pinguia uiscosa.

Habent etiam Medici alium quendam replendi modum, uolenter trahentes ad locum uacuum alimentum, & pariter eius calorem augentes & excitantes qui quidem modus maxime conuenit, ubi Membrum propter insignem frigiditatem suis proprijs attrahendi & concoquendi actionibus priuatur, & in eo iam affectu est qui à Græcis ἀγροφία nuncupatur, Materie ad hunc usum idoneæ sunt omnia medicamenta, quæ insignem habent caliditatem, & siccitatem, usq; ad finem tertij gradus, & principium quarti. Ex his materijs fiunt illi, qui uulgo dropaces, sinapismi & picationes uocari consueuerunt, ubi maxima animaduertere debent iuniores medici, si quando ad hoc opus accesserint, ne dimittant loco adhærere medicamentum tam feruidum, ubi iam ruborem induxerit, & quendam leuem tumorem, Si enim ulterius dimiserint, tantum abest, ut repleat, ut etiam magis euacuet & tabesciat. Talia enim medicamenta per se resoluunt & exiccant, sed accidit, ut repleant si tam diu permittantur,

tantur, donec calefaciant & attrahant postea statim auferantur, & aliquo pingui temperato illuatur locus, ut melius retineatur attracta caliditas & sedetur feruor medicamenti.

At si in humano corpore aliquod crassius occurrerit, ut inde lædantur actiones. Nemini dubium est esse attenuandum, Constat autem crassum illud esse, quod partes habet ita simul iunctas, ut penetrare non possit nisi in amplos admodum meatus, non enim in eo quod crassum est pars cedit parti, sed omnes simul confertim existentes, se inuicem in transitu impediunt, haud aliter quam si globus hominum simul confertim iunctorum, in aliquem angustum locum ingredi uellet, neq; enim id fieri posset nisi separarentur, & alter cederet alteri, Ergo eodem modo, quod crassum est separari debet, & incidi ut pars cedat parti in transitu & motu, hoc enim circumscribit & determinat teste Galeno, quod subtile appellamus. Nam subtile est cuius partes facile penetrant, per locos etiam angustos. Ergo crassum incidi attenuariq; oportet, sciuiimus autem quæ attenuant & incidunt calido esse in tertio gradu. At quæ ad tertium gradum caliditatis accedunt, illa sunt sapore acria. Ergo acria & tertio gradu calefacientia, attenuare possunt, quod est crassum, incidendo, scilicet & separando partem à parte, hæc enim est destructio crassitudinis.

Contra quod subtile est in humano corpore & sua subtilitate lædit operationes, sicut plerumq; contingit in destillationibus à capite, crasse fieri oportet, patetq; crassefactione fieri, per ea quæ sunt subtiliationi opposita, Ergo partes inter se distantes sunt unienda, sicut in attenuatione dicebamus esse separandas. Hoc fit uel cum his quæ astringunt, uel cum his quæ habent uisciditatem, uel crassitudinem partium. Astringentia enim compingunt, & in unum congregant partes separatas. Viscida suo lentore ligant partem parti, & ita continendo crassefaciunt. Quæ uero crassæ substantiæ sunt, per admixtionem crassefaciunt, quæ sunt subtilia, exempli gratia, terra, cum aqua misceatur redditur substantia crassa, quam lutum uocamus.

Ergo triplici instrumento tenuia crassefaciunt, uel astringendo, uel inuiscando, uel substantiam crassam admiscendo. Quòd autem magis eligi debeat, particulares ægritudines indicabunt de quibus non est nostrum institutum in hac parte loqui. De asperitate autem & leuitate, uisciditate & friabilitate eadem ferè ratio est, & non dissimili methodo, in his quoq; sicut in alijs procedimus. Nam cum asperitas fiat propter siccitatis excessum, ut supra docuimus, constat lenitionem esse faciendam cum his, quæ absolute humectant, ita tamen humectent, ut non fluant, neq; enim facile, aut in pauco tempore

tempore humectantur, quæ sicca sunt, ideo indige-
mus his, quæ cum hoc quoq; humectent, in loco
quoq; morentur, & non diffluant, talia sunt humi-
da, uiscida, & crassioris substantiæ, quæ præcipue
sunt emplastica, & nullam habentia abstersionem
uel exiccationem.

Visciditas uero cum oriatur ut diximus, propter
multam admixtionem aëris cum aquea substantia,
tolletur cum his quæ exiccant, & penetrant ad pro-
fundum, & exhalare faciunt per uaporem partes
uereas, quæ in uiscido corpore continentur. Et hinc
propriæ ex uisciditate inducitur friabilitas. Cum
tamen uiscidus aliquis humor ita contineatur in
corpore, ut pertinaciter adhæreat parietibus uaso-
rum, neq; inde facile excuti possit, quærimus hoc
loco abstersionem.

Abstergentia autem si amara fuerint, utrumq;
prestabunt, namq; abstergent, quod est impactum,
& destruent exiccando ac difflando aëream sub-
stantiam rei uiscidæ reliqua uero abstergentia, po-
tius abstergent tantum, quam uisciditatem tollent.
Et hæc satis dicta sint de omnibus effectibus, & sin-
gularum actionibus & correlationibus, quæ se te-
nent ex parte materiæ.

Nunc aliqua quoq; de formalibus adiuti oportet,
Harum quæ primæ sunt & appellantur apud
omnes, constat esse calefactionem, frigefactionem,

F 5 hume

humectatioe em, exiccationem & quæ ex his componuntur, de quibus abunde in prima sectione disseruimus, neq; hic oportet rursus inculcare dubitationes, quas satis superius explicatas arbitror, Videtur enim nonnullis, cum calefacere & frigefacere sequantur mixtionem, quæ mixtio est quædam passio primorum corporum, & partium materialium, quod huiusmodi actiones se potius teneant ex parte materiae, & eo magis quod supra asseruimus actiones, quæ proprie emanant à forma esse nobiliores & occultiores. Non aduertunt isti, quod diximus in habitu formæ post mixtionem duo conuenire, Vnum est ipsa proportio mixtionis, & con-temperantia primarum qualitatum, quam quicumque distinxerunt formam à temperatura, appellarunt proprio nomine temperaturam seu complexionem quàm postea complexionem subito consequitur forma substantialis, siue extrinsecus adueniat, siue intrinsecus.

Qui uero temperaturam non distinguunt à forma substantiali, appellant eam proportionem terminum mixtionis, quem terminum consequitur nobilior actus temperatura ab illis uocatus, qui tamen nihil aliud est nisi perfectio, & quædam ueluti consonantia illius prædicti termini, non aliter quam in Musicis proportionibus euenit, ubi proportio exempli gratia dupla uel tripla est quidam terminus

terminus & actus resultans ex mixtione uocum
grauium & acutarum. Non est tamen idem, quod
ipsa consonantia uel concentus. Nam concentus est
species quaedam & obiectum, cuius actus est audi-
tum delectare. Ipsa uero proportio dupla, est actus
mixtionis, qui praecedit consonantiam, sicut ea pra-
cedunt, quae sunt uel ordinantur ad finem. Et ut u-
no uerbo dicam, sicut proportio dupla est perfe-
ctio mixtionis uocum, ita consonantia est perfectio
proportionis duplae.

Idem uidemus & in ipsa luce, quae maxime as-
similatur incorporeis, Lux. n. illustrat transparentem
corporis superficiem, & est actus uel perfectio eius,
& hanc actualem illuminationem sequitur color,
qui proculdubio species diuersa est ab illuminatio-
ne, resultans tamen ex ea ueluti compositione illu-
minationis, & terminatae transparentiae in super-
ficie corporis. Quemadmodum igitur illumina-
tio est perfectio, & actus corporis transparentis
luminati ita color est actus illuminationis. Et sicut
est illuminatio in ea corporis superficie talis est
proportio primarum qualitatum in mixto, & ut
se habet color ad illuminationem, ita se habet for-
ma quam temperaturam uocamus, respectu propor-
tionis quae in mixtione resultat.

Ex his satis patet differentiam inter eos, qui
ponunt temperaturam aliud esse à forma substan-
tiali,

tiali, esse nominum potius quam rerum, si quis acutius introspiciat. Et istæ ferè sunt differentia & discrepantiæ, quæ ferè semper inueniuntur inter magnos autores. Unusquisque enim diuersimode explicat ueritatem, quam intendit, & ex uaria explanatione, oriuntur uarij conceptus intelligentium, Vnde creditur discrepantiæ esse in rebus, quæ potius est in ipsa ratione & explicandi modo.

Redeunt es igitur ad propositum dicimus, calefactionem & refrigerationem & reliqua esse proprios actus proportionis mixtionum, quæ est quædam forma imperfecta & non ipsius temperatura, prout temperaturam intelligimus ultimum actum & formam substantialem.

Néque hoc mirum uideri debet nam & in anima, quæ est forma substantialis animalium, apparent actus diuersi, qui consequuntur maiorem uel minorem perfectionem animæ, & ipse Aristoteles fatetur animal prius uiuere uitæ plantæ, deinde ulterius perfici & acquirere animam sensitiuam, ultimo etiam intellectuam. Quid igitur absurdi est, si hoc idem contingere dicamus in qualibet forma, ut primo quodam modo inchoetur, deinde perficiatur, sed iam satis philosophatum est.

Prima igitur uirtutes consequentes actum formalem, ut calefacere, frigefacere, humectare, & exsiccare, & quæ ex his componuntur, de quibus

CMIB

cum sane supra egerimus non est quod hic rursus
repetantur.

Sed aliæ ab his oriuntur quæ ab ipso Galeno
& reliquis medicis secundæ uocantur, ab his ta-
men prius generatæ, ut est aperire, claudere, discu-
tere, attrahere, reprimere, & huiusmodi. Iste om-
nes sunt actiones formales, quæ consequuntur a-
ctum formæ, nihilo minus quoniam actus earum
uersatur ferè circa secundam compositionem cor-
porum & circa morbos compositionis, qui se te-
nent ex parte corporis & subiecti, ideo à fine de-
nominamus has actiones materiales, & ad locum
deduximus, ubi de actionibus materialibus loqueba-
mur. Quando enim rarefacimus, condensamus, a-
perimus, claudimus, euacuamus, replemus, crassefa-
timus, attenuamus, semper uersamur circa mate-
riam, & ut compositio corporis dirigatur, uel in-
formatione, uel in quantitate, uel in situ, aut nume-
ro, Materiales igitur omnes istæ actiones uocen-
tur, quamuis à forma proueniunt, à fine enim po-
tius, quam ab efficiente denominationem sumimus.
Sed calefacere aut frigefacere, diriguntur ad for-
mam, id est ad ipsam temperaturam corrigendam,
quæ temperatura reuera est omnium actionum
principium.

Sunt quidem & tertiæ operationes quæ magis
particulares sunt, sicut prouocare urinam, men-
strua

strua sudorem, & ut quæ dicuntur à Grecis nephriticæ, cardiacæ, bechicæ id est tussim excitantes, & reliquæ huiusmodi, quæ hoc loco à me explicandæ non sunt, attinent enim ad partem curatiuæ particularem, quam nunc non tractamus.

Sunt & alia multa circa medicamenta non mediocri speculatione digna, ut quomodo medicinae in quibus aliqua uirtus excedat, uel deficiat sint corrigendæ & emendandæ, per decoctionem, uel admixtionem, uel aliquam aliam præparationem, quomodo etiam sint conseruandæ, colligendæ, & in qua regione, quo tempore, præterea quando applicantur corpori, cum sæpe uel plus efficiunt quam intendimus, uel minus, quomodo suppleamus tam excessui quam defectui hæc & alia quam plura huiusmodi, sunt cognitu necessaria ad hanc partem medicinae curatiuam.

Sed de his omnibus partim tractabit Auicenna docte & copiose in hac quarta parte primi libri, quam nos hoc anno explicandam proposuimus, partim dicentur in suis libris particularibus.

Hæc igitur in uniuersali à me dicta sufficiant, quæ uidebatur esse admodum necessaria ad ea, quæ in tractandis medicamentis ab Auicenna dicentur. Iam his omisus tempus est, ut ad uerborum Auicennæ explanationem accedamus, singulis locis, singula quæ diximus oportune accommodando.

FINIS.

Spiritus est corpus aetherei caloris
facultatumq; sedes ac fundamentum
ac primum obrunda facit fundio
nis instrumentum

Calidum innatum et humidum
primigenum in sito Spiritu et
calore primum.

Pen Vg 3700

I

ULB Halle

3

004 519 450



